ORATORIÆ LIBRI DVO:

QVORVM
Alter ejus Definitionem,
Alter Partitionem
EXPLICAT:
IN USUM SCHOLARUM
recèns editi.

Authore CAROLO BVTLERO, *Magd.*

OXONII,
Excudebat GVILIELMVS TVRNER,
Impensis Authoris. 1633.



Viro verè nobili,

THOMÆ COVENTREIO

Equiti, Baroni de Alſborough D. *Cuſtodi Magni Sigilli* Anglia, *& Regiæ Majeſtati à Conſiliis.*

Liceat mihi (honoratiſsime *Mœcenas*) qui prima Rhetorices elementa præſtanti Viro, *Thomæ Egertono*, propter eximium, tam Religionis & bonarum Artium, quàm Æquitatis & juſtitiæ, ſtudium nobilitato, jam pridem dicaverim; ulteriora hæc Dicendi præcepta digniſsimo ejus, ut honoris loco ita & virtutum ſtudio, ſucceſſori jam nunc nuncupare: ut ſicut illa, illius auſpicio, in præcipuis hujus regni Gymnaſiis, puerorum ac adoleſcentum manibus aſsiduè verſantur; ita & hæc, tuo tuta patrocinio, liberiùs in publicum prodeant, atque adoleſcentum

tum & adultorum animis, etiam in Lyceis, pariter imprimantur: quibus instructi adjumentis, ad maxima, in Ecclesia & Republica, munia paratiores & promptiores accedant. Rex & Rex Regum, qui te unum è multis ad excelsum illud, quod jam ornas, tribunal delegerunt, ut pro summo jure (quod sæpè fit summa injuria) ÆQUUM & BONUM populo huic magno consultè decernatur, debitum prudentiæ & virtutibus tuis honorem, ad Ecclesiæ & Reipub. salutem ac fœlicitatem, perpetuare dignentur, atque propagare.

WOLTON, 5. *Idus Martii*,
Ann. Dom. 1633.

Honori tuo devotissimus

CAROLUS BUTLER *Magd.*

Ad AUTHOREM.

SCrutari apinam gestiens solertiam,
Superis placebat tu quoque ut fieres Apis
BUTLERE; (*nec te pigeat*) *hôc qui mel libro,*
Labore apino, condis Oratorium.

Tuus I.H.

Ad Lectorem Oratoriæ Viri in omni literarum genere insigniter docti, Magistri BVTLER.

SI qualis rogites sit iste fœtus;
Hoc dico: Eximium refert parentem.
Scitare ulteriùs? legas: patebit
Nec fœtus similes nimis frequentes,
Nec tales nimiùm crebros parentes.

S. W.

Lectori Benevolo Salutem.

NOn quòd non ſatis multi ſatis jam multa, de Dicendi facultate, eruditè ſatis ſcriptitârunt; nec ut ipſe in illorum, quos utique revereor, numerum me ambitiosè infererem; iſtud mihi penſum imperavi: ſed ut amicis quibuſdam Magiſtris (qui, quod Rhetorica noſtra Ramea Scholis aliquandiu placuit, ut integram Oratoriam, pârili brevitate per ſpicuitate methodo, abſolverem, ſæpiuſcule & ſeriò flagitârunt) morem gererem. Horam ego poſtulatis, ſtudioſe lector, hìc ſum obſecutus: ſi tuæ etiam expectationi fecerim ſatis; bene habet: vèro potîtus ſum: ſin minùs; candidè abs te admonitus, adhuc id facere, quam poſſum, dabo operam. Sed inquis forſan, Quid tibi, jam ſeni, cum iſtis pueri-libus? Hem! ſiſte precor; ne in crimen, quod alteri temerè intentas, ipſe turpiter incurras: puerilis nempe eſt cenſura procax & temeraria. Oratoriæ quidem candidatos, magnis Orandi myſteriis, a pueris initiandos eſſe non inficior: cæterum pergant ijdem debinc oportet, ut annis, ita artis ſtudio, jugiter adoleſcentes: adulti demum invenient, quæ virili, quæ ſenili, quæ ſeveriſſimæ ætati, uſui & honori erunt. Etenim, præterquam quòd hæc ipſa facultas ſummè ſit per ſe amabilis, & è ſeptem liberalibus Scientijs multò præſtantiſſima; quì quis vel Theologi, vel juriſ-prudentiæ, vel Imperatoris, vel Legati, vel denique eminenti ullo pacis bellive munere,

re,

re, nisi hac plùs quàm mediocriter instructus & exercitatus, laudabiliter fungi poterit? Memini, cùm recenter editam, homini nec indocto, nec inhonorato Syngenian, *de more, donarem; illum (quamvis nihil, spero, inibi curiosus quisquam indagator deprehendet, præter æternam veritatem, divinis testimonijs, & Ecclesiarum primitivæ ac reformatæ, præsertim nostræ Anglicanæ, sententijs demonstratam) pro gratia (quæ hìc, si non referri, haberi saltem solet) parum gratiosè repente oblocutum, Emisisti quendam* de Apibus *libellum: eum probo: verùm quid Apiario cum abditis* Consanguinitatis *&* Affinitatis *negotijs? Cui nihil tum, quod responderem, habui; nisi quòd* Bonum *&* Verum, *cujuscunque testimonium & patrocinium,* bonum *&* verum, *non dedignatur: nec personæ indignitas rei dignitatem omnino minuat. Meos autem* hac in re *labores, si cui similiter vellicare libitum fuerit; is, præter communem illam, de* Bono *&* Vero, *excusationem, responsum hoc auferat, Eam esse inter* Apem *&* Eloquentiam *affinitatem, ut qui unam colit, peræquè colat alteram: ac pares in utraque virtutes, pariter agnoscat, admiretur, atque enunciet. Habet Apis* mel *dulce & salubre, quo hos mulcet, pascit, sanat: habet & eadem acrem* aculeum, *quo illos terret, pungit, infestat. Quid? Nonne itidem & Eloquentia? Siquidem ait Homerus,* * A lingua Nestoris *melle* dulcior fluebat oratio: *& Cicero,* † Tanta in Pericle vis fuit, ut in eorum mentibus, qui audîssent, quasi *aculeos* quosdam relinqueret: *ut nihil quicquam prohibere videatur, quin qui de* Ape, *Idem de* Arte *præcipiat* Oratoria. *Tu verò (ingenue Lector) Apinam hanc [i. &* suavitate *&* acrimoniâ *insignem] facultatem, utrisque, quod*

* Iliad. α. τῶν καὶ ἐκ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέον αὐδή.

† Orat. lib. 3, ¶ 21.

quod aiunt, ulnis amplectere: cui excolendæ si florentem ætatem diligenter impenderis; ætate maturiori fructus tibi reddet, supra cæteras quascunque humanitatis dis-
* Orat. l. 1, ¶ 9. *ciplinas, longè uberrimos.** Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes: atque in id studium, in quo estis, incumbite: ut & vobis honori, & amicis utilitati, & Rei-pub. emolumento, esse possitis. *Hæc fiet, si præpotens hæc Dicendi vis, perpetuas sibi asciverit comites*, probitatem & prudentiam: *ut* Pruden-
† Orat. lib. 3, ¶ 13. ter & Probè *admonet Orator*: † Est Eloquentia una quædam de summis virtutibus: quæ, scientiam complexa rerum, sensa mentis & consilia sic verbis explicat; ut eos qui audiunt, quòcunque incubuerit, possit impellere: quæ quò major est vis, hôc est magis cum *Probitate* jungenda, summâque *Prudentia*. Quarum virtutum expertibus, si Dicendi copiam tradiderimus; non eos quidem Oratores effecerimus; sed furentibus quædam arma dederimus. *Vale & Artem hanc tam honorificam, assiduâ discendi & Dicendi exercitatione, tuam facito.*

Wotton. 5 *Idus Martii*,
A. D. 1633.

Tui studiosus

C. B. M.

LIBER PRIMVS
De
Definitione ORATORIÆ.

Caput Primum.

(a) ORATORIA eſt (b) Facultas (c) formandi ORATIONEM [c. 2. & 3.] de qualibet QVÆSTIONE. [c. 4. & 5.]

Cujus ſuavitatem, virtutem, dignitatem, ſic exprimit Antonius: * *Tanta oblectatio eſt in ipſa Facultate Dicendi; vt nihil hominum aut auribus, aut mentibus jucundius percipi poſſit. Qui enim cantus, moderata Orationis pronunciatione, dulcior invenirí poteſt? quod carmen, artificioſa verborum concluſione, aptius? qui Actor in imitanda, quàm Orator in ſuſcipienda veritate jucundior? quid autem ſubtilius, quàm acuta, crebraque ſententia? quid admirabilius, quàm reſplendore illuſtrata verborum? quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata Oratio? Hujus eſt, in dando conſilio de maximis rebus, cum dignitate explicata ſententia: ejuſdem, & languentis populi excitatio, & effrænati moderatio.* * Orat. l. 2. c. 19

Et ſic Craſſus: † *Neq; verò mihi quicquam præſtabilius videtur; quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, unde velit deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximèque in pacatis tranquilliſque civitatibus, præcipuè ſemper floruit, ſemperque dominata eſt.* † Orat. l. 1. c. 9

Ad Cap. 1.

(a) *ORATORIA.* Vniverſim hanc *Orandi* rationem, *Rhetoricam* fere, retento quod à Græcis mutuati ſunt vocabulo, Oratores appellitant. Sed cùm Artifex *Orator*, Artificiũ *Oratio*, Actio *Orare*, abuſivè Latinè dicatur; conſequens eſt: vt Ars ipſa, cognato nomine, vocetur *Oratoria*: ſicut antiquis quibuſdã viſũ eſt: de quibus Quint.: † *Rhetoricen in Latinum transferentes, tum* Oratoriã, *tum* Oratricem *nominaverunt.* Adde etiam quòd idem Fabius, quamvis Græcam vocem malle ibidem videatur; tamen Artis præceptiones ipſe inſcribat, *Oratorias*, non *Rhetoricas.* † l. 2. c. 14.

toricas, Institutiones: imò & Artem ipsam appellet *Oratoriam*: vt l. 6. c. 1. (vide (f) in notis ad c. 3. § 6.) & l. 3. c. 1. *Isocrate iam seniore, Aristoteles præcipere Artem* Oratoriam *cœpit: & ibidem, Præcipuum vero volumen, sicut Eloquentiæ, ita præceptis quoque eius dedit, vnicum apud nos specimen* Orandi *docendique* Oratorias *Artes, M. Tullius.* Quas & ipse eodem modo loquitur: * *Quibus in rebus versatur Ars & Facultas* Oratoria, *eas res materiam Artis* Rhetoricæ *nominamus.* Vbi vocibus Græcâ & Latinâ indifferenter vtitur: quemadmodum etiam *Rhetor* & *Orator*, Orat. Perf. ¶ 11. *Orator & Græcè ab eloquendo* Ῥήτωρ, *& Latinè Eloquens dictus est.* Quare Latini illi, de quibus meminit Fabius, hanc Dicendi *Facultatem* rectè videntur *Oratoriam* nominâsse. Cæterum nollem quenquam hìc de nomine magnopere laborare; nisi particularis illa exornandæ Orationis Ars, *Rhetorica* appellationē sortita jam esset; & diversarum rerum diversa esse vocabula oporteat.

* Invent. l. 1. ¶ 10.

(b) *Facultas. Oratoria* rectè quidem ἐπιστήμη [*Scientia*] dicitur quatenus de bene dicendo præceptiones continet: rectè etiam τέχνη [*Ars*] quia præceptiones producens in actum, τέχνη [*parit*] opus quoddam ad aliquem in vita finem vtilem, nempe veritatis propositæ probationē & fidem: (juxta eam, quam tradit Lucianus, Artis definitionem: † Τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγυμνασμένων πρός τι τέλος εὐχρηστον τοῖς ἐν τῷ βίῳ Quā Quint. sic transtulit, * *Ars est, quæ constat ex præceptionibus consentientibus & coexercitatis ad finem vitæ vtilem*) sed rectissimè δύναμις [*Facultas*:] quoniam, ipsius *vi*, Orator de qualibet quæstione bene dicit. *Oratoria* itaq; quà theoretica, *Scientia*; quà practica, *Ars*; vtroq; modo, *Facultas*, nominatur: neq; enim ex theoria sine praxi, neq; ex praxi sine theoria, *Facultatē* dicendi quis consequi potest. Quare licèt Oratoria, & *Scientia* & *Ars*, & *Facultas*, rectè dicatur; maluit tamen Aristoteles δύναμιν [*Facultatem*] quæ & *Scientiam* & *Artem* necessariò præsupponit † Ἔστω δὴ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν, (Hanc Definitionem sic vertit Q. * *Rhetorica est vis inveniendi omnia in Oratione persuasibilia.* Quòd *vim* dicit, seipsū antè expressit: *Quod ego vim appello, quam nulli* Facultatem *vocant: quæ res nequid afferat ambiguitatis*, vim *dico* τὴν δύναμιν.) Et idem alibi. † *Si quis vel Dialecticam vel hanc Oratoriam, non tanquam* Facultates, *sed* Scientias, *conabitur instituere; is non animadverit, se naturam earum obscurare.* Atq; etiam Patrocles & Theodorus apud Quint. l. 2. c. 15: quos sequuti ipse Fabius & Tullius *Oratoriam* hanc appellant, Dicendi *Facultatem*: Fabius d. c. *E quibus qui dicendi* Facultatem *a majore vitæ laude fecerunt*, &c. Tull: Orat: l. 2: ¶ 19. *Tanta oblectatio est in ipsa* Facultate *dicendi*, &c. Et pro Murænā: *Ea vis illa est & plena dignitatis dicendi* Facultas. Item Invent. l. 1. ¶ 7 *Quare hanc Oratoriam Facultatem* (quam antea *artificiosam Eloquentiam*, & *Rhetoricam* dixerat) *in eo genere ponemus, vt eam ci vilis scientiæ partem esse dicamus.*

† De Parasito ad initium.

* l. 2: c. 17: in fine.

† Rhet. ad Theod: l. 1: c. 2.

* l. 2: c. 15:

† Theod: l. 1: c. 4:

(c) *Formandi.* Orat: l. 2, ¶ 19. *Nonquisquam dicetur, nisi Orator, formare Orationem.* quam quò pluribus & præstantioribus distinguit *Oratoriæ* virtutibus; eò format perfectiùs.

Cap. 2.

Cap. 2. De Oratione.

§ 1. *De Dictionibus, & Sententijs.*

ORATIO est (a) Dictionũ & Sententiarũ structura, ad persuadendũ [§ 2] accõmodata. (b) Dictiones sunt (c) vel propriæ, vel translatę. *Dictio.*

Propriæ vel (d) obsoletæ, quæ nunquam, vel (e) vetustæ, quæ rarò, vel (f) novatæ, quæ rarissimè, vel vsitatæ, quæ præcipuè, vsurpandæ sunt: ex quibus nimirum, maximam partem, conficitur Oratio. (g) Translatę verò ratione sumptæ, tanquam ornamenta & oblectamenta, hìc illìc inter proprias spargendæ.

Sententia debet esse (h) nec obscura, (i) nec nimis aut curta aut longa. *Sententia.*

Communis affectio Sententiæ est Distinctio: quæ, in verbis notata, ad rerum confert intelligentiam. Est autem duplex: quæ Punctis, & quæ Literis, notatur. *Distinctio.*

Punctualis Distinctio tam respirationis, quàm sensus internoscendi gratiâ adhibetur. Estq; vel primaria, vel secundaria: & Primaria aut perfecta, vt (k) Periodus, & (l) Colon; aut imperfecta, vt (m) Semi-colon, & (n) Cõma.

Periodus est Distinctio perfecti sensus, & perfectæ Sententiæ: singulari punctulo sic notata (.) *Periodus.*

Colon [membrum Periodi] est Distinctio perfecti sensus; sed non perfectæ sententiæ: cùm vel membrũ præcedens sine sequenti, vel sequens sine præcedenti, non satis intelligatur: duobus notata punctulis (:) *Colon.*

Semicolon est Distinctio imperfecta major, in medio vel Coli vel Periodi, fere inter partes (o) Axiomatis compositi: notata punctulo & virgulâ suppositâ (;): quod tamen, post partem breviusculam, & non præcedente Cõmmate, Cõmatis signo interdũ notatur: sic etiam Semicolõn Semicolo insertũ. Vide Exordiũ pro Cęc. in (o) nota. *Semicolon.*

Comma est Distinctio imperfecta minor, vel in Axiomate simplici, vel in altera parte Axiomatis compositi: & virgulâ sic notatur (,) *Comma.*

Distinctiones secundariæ sunt quatuor: Erotesis, & Ecphonesis; Parenthesis, & Paratheſis.

Erotesis. Erotesis est nota * non modò sciscitandi, aut instandi; sed etiam contrarium vehementer enunciandi: cujus signū est virgula reflexa perpendicularis, suppositò punctulo (?)

* vid. Rhet. l. 1. c. 34.

Ecphonesis. Ecphonesis est nota † Exclamationis: sive in Admiratione, Optatione, Ostentatione; sive in Indignatione, Desperatione, Commiseratione; sive denique in Epiphonemate, fiat: cujus signum est linea recta perpendicularis, suppositò punctulo (!)

† vid. Rhet. l. 1. c. 24.

Parenthesis. Parenthesis est, quæ * sententiolam Sententiæ interjectam, binis amplectitur (p) semicirculis ( ). Ea autem (q) Puncta reliqua, neq; in se, neq; ante se, tollit: sed omnia perinde servanda sunt, acsi Parenthesis non esset.

* vid. Rhet. l. 1. c. 34.

Paratheſis. Paratheſis est, quæ verbum † Appositum, duobus includit semiquadris [ ].

† vid. Rhet. l. 1. c. 34.

Distinctio literalis consistit in diversa literarum vel Specie, vel Figura. Species est in omni (r) genere (s) duplex: Romana, & Italica. Figura item in vtraq; Specie duplex: Majuscula seu Capitalis, & Minuscula seu vulgaris.

Literâ Majusculâ distinguitur nomen proprium, (t) Sententiæ principium, & (u) Subjectum: sive commune, sive proprium.

(v) Diversæ Speciei literis notantur (u) Testimonia, [vt (x) Gnome, Lex, (y) Authoritas:] etiam voces (z) Emphaticæ, quæ præcipuæ sunt notæ, & Artium Exempla: item Capitum Argumenta, & Marginales notæ. Nuper etiam nomina Propria, & Subjecta, quia præcipuæ sunt notæ, diversâ scribi cœperunt literarum Specie.

Ad c. 2. § 1.

(a) *Diction. & Sent:* Orat: Perf: ¶ 46. *Nihil est aliud pulchrè & Oratoriè dicere; nisi optimis Sententijs, verbisque lectissimis dicere: & nec Sententia vlla est quæ fructum Oratoris ferat, nisi apte exposita atque absolutè; nec verborum lumen apparet, nisi diligenter collocatorum.*

(b) Dictiones hìc intelliguntur, verba simplicia; sicut Sententiæ, conjuncta: de quibus Crassus, * *Omnis Oratio conficitur ex verbis: quorum primùm nobis ratio simpliciter videnda est; deinde conjuncte. Nam est quidam ornatus Orationis, qui ex singulis verbis est; alius qui ex continuatis conjunctisque constat.*

* Orat. l. 3. ¶ 26

† Ibidem.

(c) *Vel propr:* † *Ergo vtemur verbis, aut ijs quæ propria sunt, & certa*

certa quasi vocabula rerum, penè unà nata cum rebus ipsis; aut ijs quæ transferuntur, & quasi alieno in loco collocantur.

(d) *Obsolet* * *In propriis est igitur verbis ea laus Oratoris, vt abjecta atque obsoleta fugiat.* * Ibid.

(e) *Vetust.* † *Inusitata sunt prisca fere ac vetusta, & ab vsu quotidiani sermonis jam diu intermissa: quæ sunt Poëtarum licentia liberiora, quàm nostra: sed tamen non rarò habet etiam in Oratione Poeticum aliquod verbum dignitatem.* De his sic Q. l. 1. c. 6. *Verba à vetustate repetita, non solùm magnos assertores habent; sed etiam afferunt Orationi majestatem aliquam, non sine delectatione: nam & authoritatem antiquitatis habent; & quia intermissa sunt, gratiam novitatis similem parant. Sed opus est modo, vt neque crebra sint hæc, neque manifesta: quia nihil est odiosius affectatione.* † Ibid.

(f) * *Novantur autem verba, quæ ab eo qui dicit ipso gignuntur ac finiuntur.* Quæ quidem licentia nonnunquam, vbi verbum idoneum deest, præsertim cuiq; in sua Arte magistro, permittenda est. Orat. Perf. ¶ 42. *In omnibus hoc fit Artibus, vt, cùm id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum, nullum habeat nomen; necessitas cogat, aut novum facere verbum, aut à simili mutuari.* * Ibid.

(g) *Translat.* De his vide Rhet. in Tropis.

(h) *Nec obscura,* (i) *nec nimis:* Q. l. 8. c. 2. *Nobis prima sit virtus perspicuitas: propria verba, rectus ordo, nõ in longũ dilata Periodus: nihil neq; deest, neq; superfluat. Aliqui, brevitatis æmuli, necessaria quoque Orationi subtrahunt verba: & velut satis sit scire ipsos quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat nihil putant. At ego otiosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio non intelligit.* Et l. 9. c. 4. *Modus Periodo à Cicerone, aut quatuor senarijs versibus, aut ipsius spiritus modo terminatur. Præstare debet vt sensum concludat; sit aperta, vt intelligi possit; non immodica, vt memoriâ contineri.*

(i) *Nec nimis aut.* Orat. Perf. ¶ 45. *Constat ille ambitus & plena cõprehensio, è quatuor fere partibus quæ membra dicimus: vt & aures impleat; & ne brevior sit quã satis sit, neq; lõgior: quanquã vtrumq; nonnunquã, vel potiùs sæpe, accidit, vt aut citiùs insistendum sit aut longiùs procedendum; ne brevitas defraudâsse aures videatur, neve longitudo obtudisse: sed habeo mediocritatis rationem.* Mediocrem autem Sententiæ mensuram, mox idem describit. *E quatuor partibus, quasi Hexametrorum instar versuum quæ sint, constat fere plena* † *Comprehensio.* Sed, vt suprà monuit, à justâ hac & plenâ Cõprehensione, varietatis causâ, nũc in excessũ, nũc in defectũ recedit. Est enim Sententia, quę plus quater quatuor versus; est, contrà, quæ non duos contineat. Atque vt versuũ in Sententia; ita Pedum in versu, numerus omnino incertus est. nempe quilibet intra bis senos, etiam vsque ad vnum. Adeo vt hujusmodi versus, non tam *Pedum* numero & genere, quàm respiratione definiendi videantur. Sed plerũmque fit, vt quaterni promiscuè versus, circiter quater sex pedes, in quater septem, plùs minùs, verbis, complectantur. Exẽplo sit illud pro *Cæcinna* initium: vbi priores duæ Sententiæ sunt quadrimembres: quarta vix trimembris: tertia verò (præter Parenthesin † Periodus. v. (k) in notis.

quæ duarum est partium) plus quinquies quatuor versus comprehendit: qui tribus Colis, 12 Semicolis, & Periodo, præter Commata, distinguuntur. Ex duodecim autem Semicolis sex proprias retinent notas: & sex, quia * Semicolis inserta, pro suis, Commatum signa sortiuntur. vide (o) in notis: vbi quatuor hæ Sententiæ vnà recitantur. Aliud exemplum sit initium secundę Calitinariæ. (1) *Tandem alis quando, Quirites, L. Catilinam,* (2) *furentem audaciâ, scelus anhelantem.* (3) *pestem patriæ nefariè molientem,* (4) *vobis atque huic vrbi ferrum flammamque minitantẽ,* (5) *ex vrbe vel ejecimus, vel emisimus,* (6) *vel ipsum egredientem vrbe prosecuti sumus.* II. *Abijt: excessit: evasit: erupit.* III. *Nulla jam pernicies à monstro illo atq; prodigio,* (2) *mœnibus ipsis intra mœnia comparabitur.* Vbi prima Sententia sex habet quasi Hexametra: secunda quatuor quidem versus, sed brevissimos; nempe singulos è singulis consistentes pedibus, Trochæo sc. & tribus Palimbachijs, ijsque in singulis verbis. tertia bimembris est; sed, quàm quadrimembris illa, triplò longior.

* Vide (o) in textu.

(k) *Periodus.* Orat perf: ¶ 41. *Quem Græci Periodon, nos tum Ambitum, tum Circuitum, tum Comprehensionem dicimus.*

(l) (n) Orat. perf. ¶ 41. Nescio cur, quæ Græci κόμματα & κῶλα nominant, nos non rectè Incisa & Membra dicamus.

(m) Semicolon, quanquam distinctus sit & frequens illius vsus, distinctam tamen notam antiquitus non obtinuit. Itaque etiam Q primarias Distinctiones tres tantùm enumerat. † *At illa conjuncta series tres habet formas: Incisa, quæ Commata dicuntur, Membra, quæ Cola, & Periodon, quæ est vel Ambitus vel Conclusio.*

† l. 9. c. 4.

(o) *Axiomatis compositi.* Cujus sc. duæ partes [Protasis & Apodosis] per vinculum conjunguntur: sive illud sit disjunctum, cujus vinculũ est Conjunctio Disjunctiva, vt *Aut, aut; Vel, vel;* sive Discretum, cujus Conjunctio est Discretiva, vt *Quanquam, Licet, tamen;* sive Connexum, cujus Conjunctio est Connexiva, vt *Si, Sin;* sive Copulativum, cujus vinculum est *Et, Tum, Nec, Neque,* geminata; *Cum, tum; Non modo, sed etiam;* &c. His affinia sunt *Quoniã, Quia ideo; Vbi, ibi; Quando, tunc;* Item Comparationis notæ, *Qualis, talis; Quantus, tantus; Quò, hoc; Quot, tot; Tam, quam; Ita, vt; Ante, Prius, quam;* &c. Horum exempla initio Exordij pro Cæcin. confertim proponuntur. Quod idcirco nec non alias ob causas, (vide (1) (p) (q) in notis) verbatim transcribendũ duxi.

In his exemplis vbi Asteriscus reperitur; ibi Semicolon Semicolo insertum notatur signo Commatis.

I. *Si quantum in agro, locisque desertis, audacia potest* *, (2) *tantum, in foro, atque in judicio, impudentia valeret;* (3) *non minùs in causa cederet A. Cæcina Sext. Ebutij impudentiæ* *, (4) *quàm tum in vi faciendâ cessit audaciæ.*

II. *Verum & illud considerati hominis esse putavit,* (2) *qua de re, jure, decertari oporteret, armis non contendere;* (3) *& hoc constantis,* (4) *judicum vi & armis certare noluisset, eum jure judicioque superare.*

III. *Ac mihi quidem* (2) *cùm audax præcipuè fuisse videtur Aebutius,* (3) *in convocandis hominibus, & armandis;* (4) *tum impudens in judicio:* (5) *non solùm quòd in judicium venire ausus est;* (*Nam id quidem, tametsi improbè fit;* (2) *in aperta tamẽ malitia est jam vsitatum*) (6) *sed quòd non dubitavit, id ipsum quod arguitur confiteri:* (7) *nisi fortè hoc rationis*

tionis habuit, (8) *Quoniâ si facta vis non esset moribus* *, (9) *superior in possessione retinendâ non fuisset*; (10) *quia contra jus moremque facta sit* *, (11) *A. Cæcinnam, cum amicis, metu perterritum profugisse*; (12) *nunc quoque in judicio*, (13) *si causa more instituto que omnium defendatur* *, (14) *nos inferiores in agendo non futuros*; (15) *sin è consuetudine recedatur* *, (16) *se quo impudentius egerit* *, (17) *hoc superiorem discessurum*: (18) *quasi verò aut in judicio possit idem improbitas*, (19) *quod in vi confidentia*; (20) *aut non eò libentiùs tum audaciæ cesserimus* *, (21) *quò nunc impudentiæ facilius obsisteremus*.

* v. Rhet. l. 2. c. 34.

IIII. *Itaque longè aliâ ratione, Recuperatores*, (2) *ad agendum Causam hac Actione venio*; (3) *atque instio veneram*.

(p) *Semicirculi*. Sturmius, in libr: de Imitatione, existimat istos semicirculos, seu lunulas, quibus hodie vtimur, à veteribus vsurpatas non fuisse. Et certè observes adhuc, Parentheses non rarò, præsertim † Insertas duabus virgulis circumscribi.

† Vide Rh. l. 2. c. 34.

(q) *Puncta reliqua*. Vide supra in (o) Parenthesin illam, pro Cæcin. Sent. III: quæ in se Comma, Semicolon, ac Periodum; & ante se Semicolon habet: etiam illam longiorem. Pro Cluent. * *Mater enim a me* &c. quæ in se duas Periodos, vnum Colon, duo Semicola, & tres Parentheſiunculas præter Commata, comprehendit.

* Citatur Rhet. l. 1. c. 34.

Hic obiter observes, verborum Distinctiones, atque verba ipsa ab illis notata, iisdem dici nominibus: & verba quidam propriè; Distinctiones verò per Metonymiam: quæ nomen rei significatæ tribuit signo. Sic Periodus, & plenam Sententiæ Distinctionem; & ipsam plenam Sententiam, denotat. vt Orat. perf: § 45. *Constat* † *Periodus & plena Comprehensio, è quatuor fere partibus*. Sic dicimus, *Demptâ* * *Parentheſi aut Paratheſi, integrum manere Sententiæ sensum & constructionem*.

† i. Sententiâ.
* i. Verbis Parentheſi aut Paratheſi inclusis.

De Distinctionum Pronunciatione, vide Rhet. l. 2. c. 4.

(r) *Genere*. Genera literarum varia sunt: quæ corporum proceritate distinguuntur: Primier, Pique, Englisſh: & supra hæc,

Great Primier, Double Pique,

* Double Englisſh: atque, quod

* vel Demicanon.

omnium maximum est, Canon: Infrà

verò Primier *brevius*, quod ideo Breuier, & cujus respectu, prius illud, *long* Primier, vulgò dicitur: atque quod minimum est, Nonpareil.

(s) *Species duplex, Rom. & Ital.* Additur etiam, in medijs generibus, pro sermone Anglico, *Anglica*: vt,

Englisſh Roman, *Englisſh Italicke*, Englisſh Englisſh.

(t) *Sentent. Princip*: Quodvis Sententiæ principium literâ majusculâ notatur

notatur: quæ, si Orationem, Librum, aut quemvis integrum Tractatum inchoat, Vermiculata esse debet: si caput, capitalis vtique procerioris generis. [* Duplex sc: vel triplex:] si Sectionem sive præcipuam aliquam Capitis vel Tractatus partem; Capitalis simplex, seu ejusdem generis: quæ, abruptâ priore lineâ, sequentem incipiet, præfixo Spatio saltem quadrato; &, si opus est, numero ordinali, cum hujusmodi Paragrapho, seu Sectionis nota, §: si notabilem Sectionis vel Capituli portionem, [putâ novam aliquam & distinctam à præcedente materiam] inchoet, similis Capitalis similiter locata, cum peculiari aliqua Subsectionis notâ: vt ¶: quæ paraphus vulgò dicitur. si versum; similis Capitalis, similiter locata, cum numero: si vero Sententiam ordinariam; simplex item Capitalis sit, quæ, post præcedentem Periodum, Spatium saltem semiquadratum sibi præfixum habebit. Nisi Sententia illa sit alicujus *Locutio* scripto nostro memorata: tum enim Capitalis, minori & Distinctione & Spatio præcedente, contenta erit: vt Orat l. 1. ¶ 12. *Tum ridens Scævola, Non luctabor, inquit, tecum amplius.* Et Liv. *l.* 1. *Fœtialis Tullum ita rogavit: Iubesne me, rex, cum Patre patrato populi Albani fœdus ferire?* Et Aen. 2.

Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, regina, jubes renovare dolorem.

† Quæ duarũ dicitur, vel trium linearum litera.

Nam quòd Capitalis hic à Colo divellitur, illud fit quia Metrum inchoat: quemadmodum vbi Lucas dicit, *Et, magno silentio facto, loquutus est linguâ Hebraïdi, dicens,*

Viri fratres &c, Capitalis à Cõmate removetur; quia Caput inchoat.

Quòd si Sectiones Capitale proceriori distinguere mavis; Capita tum Vermiculatam minutiorem, & Tractatus grandiorem, requirent.

Adnotari porro hic potest, Præceptionem aut Sententiam observatu digniorem, præsertim quæ in fine tractationis alicujus superadditur, (vt ad C. 5. § 2. 3. 4.) eminenti aliquo signo, vt Asteriſco, ★ aut Manu ☞, in margine non invuliter indicari.

(t) *Subjectum.* sc. Tractationis: sive cõmune, vt *Rhetorica*; sive propriũ, vt *Dictio*, *Sententia*, *Periodus*, *Parẽthesis*, in sua, quodlibet, Tractatione.

(v) *Diversa Spec. literũ.* Italicis, si Tractatus scribatur Romanis; & contrà.

(u) *Testimonia.* Vide lib. 2. c. 2. § 6. ¶ 1.

(x) *Gnome.* Gnomæ porro, quo faciliùs internoscantur, primũ verbũ integrum Capitalibus alicubi exaratum habent: vt Andr. Act: 2. Sc. 5.

Verum illud verbum est, vulgò quod dici solet,
OMNES sibi malle melius quàm alteri.

* in Orat. Cæsaris pro conjuratis.

* Salust. l. 1. *VBI intenderis ingenium, valet.*

Et Hor. Epist: 1. ——— *HIC murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpâ.

(y) *Authoritas.* Est tamen vbi Authoritas, servatâ literarum Specie quam habet Tractatus, duplici virgulâ lineis præfixâ distinguitur.

(z) *Emphatica.* De Emphasi sic Q. l. 8. c. 3. in fine. *Amplior virtus est Emphasis, altiorem præbens intellectum, quàm quem verba per se ipsa declarant.*

clarant: vt cùm apud * Homerum, Menelaus, Graios in equo insedisse dicit: nam verbo vno magnitudinem eius ostendit. Et apud † Virgilium. * Odyss. 4. & 8 † Æn. 2.

Dimissum lapsi per funem. ———

Namsic quoque altitudo eiusdem demonstrata est. Porro idem l. 9. c. 2. Emphasis est, cum ex aliquo dicto, latens aliquid eruitur: vt * Æn. 4.

* Non licuit thalami expertem sine crimine, vitam
Degere, more ferae? ——— Quanquam enim de matrimonio queritur Dido; innuit tamen sine thalamis vitam, non hominum esse, sed ferarum.

Binæ autem Emphases invicem respondentes excellunt: vt, † Æn. 7.

† Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

Quasi dicat eousque meus exarsit affectus, vt si Superi, quos adorari vult religio, exorari nolunt; potiùs quàm voti compos non ero, Inferorum, quamvis non sine scelere invocantur, auxilium implorabo.

Distinctiones seu Puncta in singulis dictionibus.

Distinctiones porro quædam sunt in singulis dictionibus: Apostrophus ['] Diæresis [¨] Synthesis [-] Accentus gravis [`] & Circumflexus [^].

Apostrophus est nota elisæ vocalis in fine dictionis: vt * Censen' illum me verbum potuisse proloqui? Et Adeon' me ignavum putas? Apostrophus. * Andr. act. 1. sc. 5.

Diæresis est nota vocalis à præcedente litera disjungendæ: vt picta, poeta, fluctus, evoluisse, Nereius, Achelous. Diæresis.

Synthesis [sive Hyphen] est nota partium dictionis conjungendarum: quæ, si dictio composita sit, cujus partes videri possunt voces distinctæ, easdem vbique internectit: vt Homero-mastix, Anglo-Britannus, Legis-lator, Iuris-consultus, opera-pretium, pater-familias, res-publica, senatus-consultum. Item——— Synthesis sive Hyphen.

† Æn. 2.
† Neque enim ignari sumus ante-malorum.
* Plautus in Trinummo.
* Vt ante-parta demus post-partoribus.
† Lucret. l. 1.
† Vnde sibi exortam semper-florentis Homeri
Commemorat speciem.

Sin dictio sit aliusmodi; in fine tantùm lineæ adhibetur: cùm sc: pars dictionis præcedit; pars in initio lineæ sequentis sequitur.

Hyphen semper integris intercedit syllabis: quæ eodem modo inscribendo, quo in proferendo, distinguendæ sunt: vt mul-ti-pli-co.

Sed Consonantes, quæ initio dictionis vspiam conjunguntur, omnes vocali sequenti (etiamsi prima, in proferendo, præcedenti jungatur) adscribuntur: vt

Bdellium; A-bdomen: nisi in divertis Compositi partibus: vt Ab-do, Ab-duco. Sic Bd.

Cnecius, Cnidium; Cy-cnus. Cn.
Chnoos; Ly-chnus. Chn.
Ctesis, Ctesiphon; Do-ctus, Sanc-tus. Ct.
Gnarus; A-gnus, Li-gnum, I-gnis, Cy-gnus. Gn.

Mn. Mna, Mnemosyne; *A-mnis, So-mnus, re-mno.*
Ps. Psallo; *Scri-psi, Sum-psi.*
Pt. Ptisana; *Scri-ptum, Sum-ptus, Promi-ptus.*
Sc. Scio, Scopulus; *Pi-scis, Di-sco.*
Sch. Schola; *Æ-schines.*
Sp. Spero; *A-sper, pro-sper.*
Sph. Sphæra; *A-sphodelus.*
St. Statuo; *Ne-ster, Magi-ster, Hone-stus.*
Sth. Sthenos; *Demo-sthenes.*
Str. Stringo; *Illu-stris.*
Tm. Tmolus; *La-tmus, La-tmius.*
X Xenium; *Di-xi.*

Accentus gravis. Accentus gravis distinguit Adverbium ab aliis partibus: vt *vnà, hìc, putà, licèt, antè, post, circitèr, quo, eò, quì, quà, melius, quam, cùm, quòd*; quibus adde, *secundum* præpositionem, ad differentiam nominis.

Porrò *à* atque *è*, licèt & propositiones sint, & non ambiguæ; Gravi etiam notari solent: credo, ne vel præcedentis vel insequentis dictionis partes videantur.

Accentus circumflexus. Circumflexus distinguit Ablativum fœmininum à Nominativo; quando aliàs haud facilè dignoscatur: vt *Musa Musâ*: item ablativos *quî, hôc*. Significat etiam Syncopen in præteritis: vt *admôrunt, gustâram, expléssé*: & in genitivis pluralibus: vt *virûm, equûm, currûm*. Vide Syncopen. Item contracta quædam: vt *mî, nîl, abît*, & similia. Vide Synæresin. Denique notat genitivos plurales, Græcorum formam habentes, qui illis per ω scribuntur: vt *Topicon* ad differentiam nominativi sing: *Topicon*: Item adverbia: vt *Metonymicôs*: His adde adverbium exclamandi ô, quia venit ab ὦ circumflexo.

Porro cùm duæ dictiones ijsdem conscriptæ literis, solâ alicujus vocalis quantitate differunt; longa circumflexo alicubi notatur: vt *occidò, occidó: parere, parêre*: item *ergò* * Præpositio ad differentiam Adverbij. Quamvis neque Græca sint; neque Syncopen aut Synæresin patiantur.

* Quæ inservit Genitivo, vt Æn. 6. *Illius ergò venimus*. Et Opt gen. Orat. *Coronâ donari virtutis ergò.*

Cap. 2. §. 2. De modis Persuadendi.

FInis Orationis est (a) Persuadere: hoc est ad nostram sententiam auditores perducere: quod fit (b) tribus modis: [Conciliando, Concitando, Docendo.]

Conciliatio. Conciliatio est Persuadendi modus, quo (c) amorem nobis & benevolentiam auditorum conciliamus: & fere Themia tractandum (d) præcedit.

Concitatio. Concitatio est qua (e) Affectus vehementiores concitamus: & fere Thema tractatum (f) concludit.

Concita-

Concitatio fit, rei, de qua agitur, (g) bona vel mala declarando. Eſt autem ejuſmodi Declaratio, aut æqualis, aut inæqualis.

Æqualis eſt, quæ nec plus, nec minus dicit, quàm nuda rei veritas poſtulat.

Inæqualis eſt Exaggeratio, ſeu (h) Amplificatio; vel Extenuatio, ſeu Diminutio.

(i) Exaggeratio eſt, quæ rei vel facti alicujus naturam & qualitatem, ſive bonam ſive malam, adauget, & majorem reddit. Extenuatio, contrà, quæ diminuit. *Exaggeratio.* *Extenuatio.*

(k) Doctrina eſt, qua auditores rem propoſitam docemus: & fere in ipſa Thematis (l) tractatione verſatur. Eius tres ſunt partes: Explicatio, Probatio, Amplificatio. *Doctrina.*

(m) Explicatio eſt Doctrina, quæ (n) vocem, vel (o) rem in Themate obſcuram dilucidat. *Explicatio.*

Probatio eſt, quæ rei dubię, Argumentando, fidem affert. (p) Argumentatio autem, quæ tribus rite conſtat axiomatis, (q) [Propoſitione, Aſſumptione, & Complexione,] aliquando pluribus, aliquando paucioribus exponitur. *Probatio.*

Paucioribus, (r) quando aut Propoſitio ſine Aſſumptione, aut Aſſumptio ſine Propoſitione concludit; aut etiam Propoſitione & Aſſumptione expreſsis, Complexio, quæ inde neceſſariò colligitur, ſubintelligitur.

Pluribus verò, (ſ) quando vel Propoſitioni, vel Aſſumptioni, vel vtrique ſua adiungitur Approbatio.

(t) Amplificatio eſt, quæ rem propoſitam amplificat. Eſtque vel Dilatatio, vel Digreſsio. *Amplificatio.*

(v) Dilatatio eſt, quæ rem propoſitam, illuſtrandi gratiâ, (u) argumentis idoneis amplificat; aut rem eandem varijs modis dicit. *Dilatatio.*

(x) Digreſsio eſt, quæ rei propoſitæ præcipuum aliquod argumentum, (y) delectandi gratiâ, ſuis itidem amplificat (z) argumentis. *Digreſsio.*

Ad cap. 2. §. 2.

(a) *Perſuad.* Invent. l. 1. ¶ 8. *Officium Oratoriæ Facultatis videtur eſſe, dicere appoſitè ad perſuadendum; Finis, perſuadere dictione: vt Medici*

dici officium dicimus esse curare appositè ad sanandum; finem curatione sanare. Item *Oratoris quid officium, & finem esse dicamus, intelligimus; cùm id, quod facere debet, officium esse dicimus; illud, cuius causâ facere debet, finem appellamus.*

(b) *Tribus modis.* Orat. l. 2 Sic, sub persona Antonij, Orator. *Ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa:* 1. *Vt doceamus vera esse ea quæ defendimus,* 2. *vt conciliemus nobis eos qui audiunt,* 3. *vt animos eorum, ad quemcunque Causa postulabit motum, voce-mus:* quam sententiam variè ibidem bis repetit: & iterum ¶ 82. vide (k) in notis. Rationem reddit ¶ 49. *Nam hoc necesse est, vt is qui nobis Causam adjudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur.* Qui hæc omnia præstat, in optimo Oratorum genere ponit Orator:

† *De opt. genere Orat.* † *Optimus est Orator, qui dicendo animos* audientium *& docet, & delectat, & permovet: docere debitum est, delectare honorarium, permovere necessarium.* Quæ ideo etiam in Claris Oratoribus requirit. ¶ 81. *Tria sunt quæ sint efficienda dicendo: vt doceatur is apud quem dicetur, vt delectetur, vt moveatur vehementius.*

Ratio Conciliandi. (c) *Amorem.* Quibus modis amor hic & benevolentia audientium concilietur, docet Antonius, Orat. l. 2. ¶ 64. "Conciliantur autem "animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione vitæ: quæ faci-"liùs ornari possunt, si modò sunt; quàm fingi, si nulla sunt: facilita-"tis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, "non avidi, signa proferri pervtile est: eaque omnia quæ proborum, de-"missorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acer-"borum sunt, valde benevolentiam conciliant. Sed hæc adjuvant "in Oratore; lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comi-"tas: si quid persequare acriùs; & invitus & coactus facere videare. *Et* ¶ 66. "Sentimus etiam amorem conciliari, si id velle videare, quod "sit vtile ipsis apud quos agas, defendere: si aut pro bonis viris, aut cer-"tè proijs qui illis boni atque vtiles sunt, laborare: namque hæc res "amorem magis conciliat; illa virtutis defensio charitatem. Plusque "proficit, si proponitur spes vtilitatis futuræ; quàm præteriti beneficij "commemoratio: atque si eum, cui consilies hunc amorem, nihil ad v-"tilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse causâ suâ. Invidetur "enim commodis hominum ipsorum: studijs autem eorum cæteris commodantium favetur. ¶ 64. "Sed genus hoc totum Orationis in "ijs causis excellit, in quibus minùs potest inflammari animus judi-"cis, acri & vehementi quâdam incitatione. Non enim semper for-"tis Oratio quæritur; sed sæpe placida, summissa, lenis, quæ maximè "commendat *Reos*. Horum igitur exprimere mores, oratione, justos "integros, religiosos, timidos, perferentes injuriarum, mirum quid-"dam valet: & hoc, vel in principijs, vel in re narrandâ, vel in Pero-"ratione tantam habet vim, si est suaviter & cum † sensu tractatum, vt "sæpe plùs quam causa valeat. Vide etiam c. 3. § 1. & (d) in notis.

† *vide* ☞

(d) (f) Orat. l. 2. ¶ 82. *Conciliationis & Concitationis maximè pro-*

prius

primus locus eſt, in Exordiendo & Perorando.

(f) *Concludit.* Q. l. 6. c. 1. *Concitare invidiam, odium, iram, liberrimè in Peroratione contingit: quorum, invidiam gratia, odium turpitudo, iram offenſio Judicis facit.* Orat. l. 2. ¶ 82. *Omnia autem concludendi plerunque rebus augendis, vel inflammando Judicem, vel mitigando.* Et Partit. ¶ 45. *Augendi proprius locus eſt in Perorando:* vt ſiquando in curſu Orationis occurrat Exaggeratio, id * Diſpoſitione impropriâ fieri videatur.

* v. l. 2. c. 3. § 5. *Affectus quid.*

† ſive verum id, ſive falſum ſit.

(e) *Affectus* Ariſtot. Rhet. ad Theodecten l. 2. c. 1. *Affectus eſt, quo homines commoti (ex bono ſc. vel malo † apparente) differenter iudicant. Non enim eadem iudicibus videntur, cùm diligunt, & cùm oderint: nec iratis, & quietis. Nam Reus aut nullam, aut parvam feciſſe iniuriam amanti videtur: contrà verò ei qui oderit. Cupienti autem ſperantique, & fore, & bonum fore videtur: contrà verò ei qui averſatur, atque deſperat.* Sic etiam Orator: * *Nihil eſt in dicendo magis, quàm vt faveat Oratori is qui audiet: vtque ipſe ſic moveatur, vt impetu quodam animi & perturbatione magis, quàm iudicio aut conſilio regatur. Plura enim multo, homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliquâ permotione mentis, quàm veritate aut præſcripto, aut iuris normâ aliquâ, aut iudicij formulâ, aut legibus.* Quam ob cauſam apud † Areopagitas & alios, legibus cautum fuit, ne quid *extra rem*, [ἐξω τῦ πρᾶγματος] diceretur. Et Cæſar apud Saluſtium ait, *Omnes homines, qui de rebus magnis conſultant, ab odio, amicitiâ, irâ atque miſericordiâ vacuos eſſe decet.* Quamvis ſi Orator talis ſit, qualis eſſe debet, * [vir bonus;] qui non ex fucato, ſed vero bono vel malo *Affectus* ciet; magnam illi & laudabilem, ad verum & bonum promovendum, vim habebunt; idcoque etiam Pathetica eſt ipſorum Prophetarum oratio.

* Orat. l. 2. circa medium.

† Theod. l. 1. c. 1.

* Q. l. 12. c. 1. *Sit nobis Orator vir bonus; dicendi peritus.* *Affectuum numerus.*

Pauciores numerat † Orator *Affectus*, quàm * Ariſtoteles: eos nempe duntaxat, quibus erunt judices commovendi. Inter quos primas defert Miſerationi, &, in ea movendâ, ſibi: *cuius tanta erat vis & efficacia; vt in cauſis miſerandis, plangore & lamentatione forum impleret: quod in Perorationibus* (inquit) *ſatis apparet: etſi cavent libri ſpiritu illo, per quem maiora eadem illa, cum aguntur, quàm cum leguntur, videri ſolent.* Deinde addit, *Nec vero Miſeratione ſolùm mens iudicis permovenda eſt; ſed etiam faſtidium vt iraſcatur, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, ſatietate affectetur, ſperet, metuat, lætetur, doleat. Quâ in varietate, duriorum, Accuſatio ſuppeditat exempla; mitiorum, Defenſiones meæ.*

† Orat. perf. ¶ 26.

* Vide infra.

In hac Enumeratione, *Gratiam*, verbum *favere* denotat, vt *Amorem*, *diligere*. *Indignationem* verò, quam † Ariſtoteles *Miſerationi* opponit, ſiquis hìc deſideret; ſub *Invidia* videtur Orator, qui eam *Miſerationi* itidem opponit, comprehendere: ac ſi idem illi eſſet cum *Indignatione*. Vid. (g) in notis.

† Theod. l. 2. c. 9.



* Affectus compositus est, cui simplex, vel dolor, vel voluptas immiscetur: vnde qui doloris sunt participes, per dolorem definit Aristoteles.

Quid

1 *Voluptas.* Voluptas est Affectus, ex bono acquisito: Dolor, contrà ex malo.

2 *Dolor.*

* *Theod. l. 2 c. 4* * *Omnes enim gaudent, si vt volunt fit: si contrà, dolent.*

† *Finib. l. 1.* Vnde Orator, † *Omne id, quo gaudemus, voluptas est: vt omne quo offendimur, Dolor.*

3 *Timor.* cap. 5. *Timor est Perturbatio quadam, aut dolor, ex imaginatione futuri mali corruptivi, aut dolorem inferentis. Quare necesse est ea terribilia timendaque esse, quæcunque ingentes videntur habere vires corrumpendi; aut ita nocendi, vt nocumentum ad ingentem tendat dolorem.*

4 *Spes.* ibid. Fiducia seu *Spes* [*Timori contraria*] *est simul cum imaginatione rerum salutarium, quod propè adsint: timendorum vero, vel quòd non sint; vel quòd longè absint.*

5 *Desiderium.* Desiderium est cupido rei futuræ, absque imaginatione, quòd sit futura. Voluntas enim est impossibilium: sed non Spes.

6 *Aversatio.* Desiderio contraria est Aversatio.

7 *Amor.* Amor est Affectus, quo alicui quæ bona videntur optamus, non nostri, sed illius gratiâ. Ideoque rebus illius secundis gaudemus, dolemus adversis. Amicitia autem est amor reciprocus. *Amare est velle alicui quæ bona putat, illius non sui gratiâ. Amicus autem est qui amat, & redamatur. His ita suppositis, eum qui & in bonis congratulatur, & in dolore condolet, non aliâ de causâ nisi illius, amicum esse necesse est.*

C 4.

8 *Odium.* ibid. Amori opponitur Odium: quo alicui mala vltima exoptantur. *De inimicitia autem & Odio, patet ex contrarijs esse perspiciendum. Qui irascitur, multis modis miserebitur: qui odit, nullo pacto. Ille invicem*

dolere

dolere ipſum vult, cui iraſcitur: hic verò non eſſe, quem odit. Ille cognoſci vult: hic non curat.

Ira eſt apparentis vltionis appetitus cum dolore, propter apparentem immerito vel in ſe, vel in ſuos, contemptum. 9. *Ira.* c. 2.

Ira Manſuetudini contraria eſt. Eſt igitur Manſuetudo depreſſio iræ atque ſedatio. Si ergo contemnentibus iraſcuntur, contemptuſque voluntarius eſt; manifeſtum eſt, ijs qui nihil horum faciunt, aut inviti faciunt, manſuetos ac mites eſſe. 10. *Manſuetudo.* c. 3.

Admiratio eſt Affectus, quo hominem, ob bonum aliquod excellens, magni æſtimamus & veneramur. *Admirantur autem eos, qui aut bonorum honoralium quicquam habent; aut earum rerum domini ſunt, quas ipſi vehementer capiunt. Prudentes verò, tanquam veraces, magni faciunt; vt ſenes & doctos.* 11. *Admiratio.* c. 6.

Contemptus eſt Affectus contrarius, quo alicujus, præſertim arrogantis impotentiam, inſcitiam, indigentiam, vilitatem, aſpernamur. *Contemptus eſt actus opinionis, in id quod nihil dignum æſtimatur. Contemnunt autem res digna nullius.* 12. *Contemptus*

Gratia eſt, per quam dicuntur, appetenti gratis aliquid facere. h. e. non pro re aliqua, nec vt ſibi quicquam, qui faciunt, ſubveniant; ſed vt cui faciunt. Quæ magna erit; aut quia appetens, egeat nimium, aut quia magna & difficilia appetit, aut quia in temporibus huiuſmodi, aut quia ſolus, aut quia primus, aut quia maximè: nulla verò; *ſi aut ſuæ cauſâ faciunt, aut fecerunt quod eſt minimè gratioſum, aut fortè incidit vt facerent, aut coacti fecerunt, aut reddiderunt, non dederunt.* 13. *Gratia.* c. 7.

Æmulatio eſt dolor quidam de bonis & honorabilibus, quæ naturâ ſimilibus adeſſe quis videt; non quoniam alijs ſunt, ſed quoniam non ipſi quoque. 14. *Æmulatio.* c. 11.

Invidia eſt dolor quidam, quoniam boni aliquid alij adepti eſſe videantur: non vt quicquam ſibi, ſed propter illos. Opponitur autem & Gratiæ & Æmulationi: Gratiæ, quod Gratioſus alij benè eſſe *gaudet*; *Dolet* Invidus: Æmulationi, quòd æmulus non alij bene eſſe, ſed ſibi non etiam bene eſſe; Invidus autem non ſibi non eſſe, ſed alij bene eſſe dolet. *Ideo & probum quoddam Æmulatio eſt, & proborum: Invidia verò improbum, & improborum.* 15. *Invidia.* c. 10.

Commiſeratio eſt dolor quidam ex apparente malo in non dignum pati: quod ipſe putabit ſe pati etiam poſſe, vel ſuorum aliquem. 16. *Cõmiſeratio* c. 8.

Miſerationi maximè id opponitur, quod Indignari nuncupant: Dolere namque propter res adverſas, quæ indignè illatæ ſunt, illis quodammodo eſt oppoſitum, quod eſt rebus ſecundis indignè collatis dolere. Suntque perturbationes hæ bonorum amlæmorum. 17. *Indignatio*, c. 9.

Verecundia eſt dolor quidam atque perturbatio ex malis aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant. Quare neceſſe eſt in ijs malis erubeſcere, quæ vel ipſi, vel ijs qui ipſi curæ ſunt, dedecori eſſe videntur. 18. *Verecundia.* c. 6.

Inverecundia contemptus quidem eſt eorum, atque impaſſibilitas. 19. *Inverecundia.* ibidem.

Ex his, lenis ille ac placidus Amoris Affectus *conciliatio* propriè dicitur;

dicitur: vehementiores (qui πάθη κατ' ἐξοχὴν, & à quibus Pathetica oratio nominatur) *concitari*. Conciliandi ratio suprà exposita est: (vid. (c) in notis) sequitur Concitandi.

(f) *Concludit*: vide (d)

Ratio Concitandi. *Odium.*

(g) *Bona vel mala*. Quæ bona vel mala ad cujusque Affectus Concitationem valent, copiosè ostendit d. capitibus Aristoteles. Atque 2. de Oratore ¶ 66 Orator: vbi Odium contrarijs modis concitari, atque amor conciliatur, docet. " Si quod ipsis qui audiunt, pernicio-" sum, aut invtile sit, id factum augeas; odium creatur: sin quod aut in " bonos viros, aut in eos quos quisque minimè debuerit, aut in Remp.; " tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen aut invidiæ aut odij " non dissimilis offensio.

Invidiam.

Sed in Misericordiâ, ibidem, & Invidiâ, vt præcipui, præcipuè insistit: " Haud sciam (inquit) an acerrimus longè sit omnium motus " Invidiæ: nec minus virium opus sit, in ea comprimenda, quàm in " excitanda. Invident autem homines maximè paribus, aut inferio-" ribus; cùm se relictos sentiunt, illos autem evolâsse. Sed etiam su-" perioribus invidetur sæpe vehementer: & eò magis, si intolerantiùs " se jactant, & æquabilitatem communis juris, præstantiâ dignitatis, " aut fortunæ suæ transeunt. Quæ si inflammanda sunt; maximè " dicendum est, non esse virtute parta: deinde etiam vitijs atque pec-" catis: tum si erunt honestiora atque graviora; tamen non esse tanta " vlla merita, quanta insolentia hominis atque fastidium. Ad sedan-" dum autem, magno illa labore, magnis periculis esse parta: nec ad " suum commodum, sed ad aliorum esse collata: seseque, siquam glo-" riam perperisse videatur, tametsi ea non sit iniqua merces periculi, ta-" men eâ non delectari, totamque abiicere atque deponere. Omnino-" que perficiendum est, (quoniam plerique sunt Invidi, maximèque est " hoc commune vitium & pervagatum; invidetur autem præstanti flo-" rentique fortunæ) vt hæc opinio minuatur; & illa excellens opinione " fortuna, cum laboribus & miserijs permista esse videatur. Iam Mi-" sericordia movetur, si is qui audit adduci potest, vt illa quæ de altero " deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbos, aut timeat, " aut intuens alium, crebro ad seipsum revertatur. Ita cùm singuli casus " humanarum miseriarum, graviter accipiantur, si dicuntur dolenter, " tum afflicta & prostrata virtus maximè luctuosa est.

Misericordiam Voluptatem.

* V. (x) & (y) † Parrit. ¶ 48. Omnis expectatio ejus qui audit, & admiratio, & improvisi exitus, habent aliquam in audiendo voluptatem.

Voluptatem verò in dicendo commovere, & delectare auditores, imprimis juvat: idque non modò jucundâ * Digressione, ornatâ styli elegantiâ & nitore, acutâ Sententiarum concinnitate, atque rectè dispositâ, & pulchrè connexâ rerum † gratarum varietate; sed interdum opportunâ vrbanitate & lepore.

De Vrbanitate.

*Orat. l. 2. ¶ 76 vrbanitas vtilis, & naturalis. 1.

Suavis (inquit * Antonius) *est, & vehementer sæpe* vtilis, *jocus & facitia: quæ, etiamsi alia omnia tradi arte possunt*; Naturæ *sunt propria certè, neque vllam* artem *desiderant*. Quam illius sententiam, Cæsar, cujus partes erant hac de parte disputare, mox confirmat. De *vtilitate* ait, *Multum in Causis persæpe lepore & facetijs profici vidi*: *vel quod*

quòd ipsa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata est; vel quod admirantur omnes acumen uno sæpe in verbo positum, maximè respondentis, nonnunquam etiam lacessentis; vel quod frangit adversarium, quod impedit, quod elevat, quòd deterret, quod refutat; vel quòd ipsum Oratorem politum esse hominem significat, quòd eruditum, quòd urbanum; maximèque quòd tristitiam & severitatem mitigat, & relaxat; odiosasque res sæpe, quas argumentis dilui non facile est, joco risuque dissolvat. Et quòd naturalis sit, nec Arte tradi possit, Cum duo (inquit) genera sint facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum & brevezum in illo genere perpetua festivitatis, Ars non desideratur; (Natura enim fingit homines & creat imitatores & narratores facetos, & vultu adjuvante, & voce, & ipso genere sermonis) tum verò in hoc breviori quid habet Ars loci; cum antè illud facetè dictum emissum habere debeat, quàm cogitari potuisse videatur? Quid enim hic meus frater ab arte adjuvari potuit, cùm a Philippo interrogatus, Quid latraret, Furē se videre respondit? Hoc loco insignia duo memorat exēpla Crassi in Brutū: alterū hujus, alterū illius generis.

Quanquam autem idem moneat Cæsar, nullam esse posse urbanitatis artē; tamen nequa Dicendi pars prætermitta hic esse videretur, quales naturâ, studio, exercitatione, conquisivit observationes, exponit; aliam porro tradens urbanitatis divisionem, & præceptiones quasdam in quovis genere requisitas.

2ª *Urbanitatis divisio.*

Urbanitas 1 in Re, & 2 in Verbis. 1. 2.

Duo sunt (inquit) *genera facetiarum: quorum alterum* Re *tractatur, alterum* Dicto. *Quod, quibuscunque verbis dixeris, facetum tamen est,* Re *continetur: quod mutatis verbis salem amittit, in* verbis *habet leporem omnem.* Re *tractatur aut quando quid, tanquam aliqua fabella, narratur; aut quod ex quadam imitatione sumitur. In* Dicto *autem ridiculum est, quod verbis aut sententia quodam acumine movetur. Ambiguum, in* verbo *positum non in* Re, *per se ipsum probatur id quidem vel maximè ingeniosissimum videtur, vim verbi in aliud, atque cæteri accipiunt, posse ducere: sed admirationē magis, quam risum movet. Alterum genus est, (quod habet parvam verbi immutationem) quod, in litera positum, Græci vocant* παρονομασίαν. *Etiam interpretatio nominis habet acumen, cum ad ridiculum convertas.* Hœrum generum multa ibi ac varia recenset exempla.

* Q. l. 6. c. 3. & 4. Oratorem ut dicere urbanè volo; ita videri affecture, id plane nolo.

Præceptiones in jocis observanda.

1. *Ut in illo superiori genere, vel Narrationis, vel Imitationis, vitanda est Mimorum ethologorum similitudo; sic in hoc scurrilis Oratori dicacitas magnopere fugienda est.*

2. *Mimorum est* * *nimia imitatio, sicut* † *obscœnitas: Orator scurrilem oportet imitationem, ut is, qui audiat, cogitet plura quàm videat: præstet idem ingenuitatem & verborem suum, verborum turpitudine, & rerum obscœnitate.*

† Obscœnitas non à verbis tantùm abesse debet, sed etiam à significatione.

3. *Temporis ratio, et ipsius dicacitatis moderatio, et varitas dictorum, distinguit Oratorem a scurra: & quod nos cum causa dicimus: non ut*

vt ridiculi videamur; ſed vt proficiamus aliquid: illi totum diem, & ſine cauſa.

4. *Hominibus facetis & dicacibus, difficillimum eſt habere hominum rationem, & temporum; & ea quæ occurrant, cùm falſiſſimè dici poſſunt, tenere. Flammam ait Ennius, à ſapiente facilius ore inardente oppriſci; quàm falſa dicta teneat.*

5. *Nec inſignis improbitas, nec miſeria inſignis ridetur. Facinoroſos enim majori quadam vi, quàm ridiculi, vulnerari volunt: miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe forte iactant.*

6. *Parcendum eſt maximè charitati hominum: ne temerè in eos dicas qui diliguntur; nec in quenquam, niſi cùm opus ſit: vt in adverſarium, & maximè, ſi eius ſtultitia poterit agitari; in teſtem ſtultum, cupidum, levem, ſi facilè homines audituri videbuntur.*

7. *Omnino magis probantur quæ laceſſiti dicimus, quàm quæ priores: nam & ingenij celeritas maior eſt, quæ apparet in reſpondendo; & humanitatis eſt Reſponſio: videmur enim quæſituri fuiſſe, niſi eſſemus laceſſiti.*

8. *Quæ meditata putantur eſſe, minimè videntur.*

9. *Maximè homines delectantur, ſi quando riſus coniunctè re verboque moveatur.*

10. *Quò vultus ſeverior & triſtior, hoc illa quoque quæ dicuntur ſalſiora videri ſolent. Quòd Craſſus, cùm omnium eſſet venuſtiſſimus & vrbaniſſimus, omnium & eſſet & videretur graviſſimus & ſeveriſſimus; invidiæ dignumerat Antonij.*

Multi præterea à Cæſare citantur facetiarum authores, homines præclari & graviſſimi, Socrates, Fabricius, Africanus, Maximus, Cato, Lepidus. *Sed mira quædam* * (ait Fabius) *videtur in Cicerone fuiſſe vrbanitas*: quam teſtantur ſuaves illius Orationes, Pro *Ligario*, (vbi Exordium, præter verbum de Cæſaris miſericordia, totum eſt iocoſum.) Pro *Quinctio*, (vbi potentis adverſarij rapacitatem & crudelitatem lepidè perſtringit.) Pro *Murana*, vbi nimiùm ſevera Stoicorum Paradoxa, ad ipſum Catonem facetè & acutè exagitantur.

* l. 6. c. 3. & 4.

In Concitando, mores auditorum obſervandi.

Ad Affectus autem vtilitèr commovendos, plurimùm conducit proprios cuiuſque ætatis & fortunæ mores dignoſcere: quos graphicè quidem depinxit Ariſtoteles. vide Theod. l. 2. à capite 12. ad cap. 18.

Iudicis propenſio optanda.

† Orat l. 2. ¶ 64.

Porro quia fœliciores evadunt in affectibus movendis, qui faventes invenerint auditores; † *illud optandum eſt Oratori, vt aliquam permotionem animorum, ſuâ ſponte ipſi afferant ad Cauſam judices, ad id quod vtilitas Oratoris feret, accommodatam*: (facilius eſt enim currentem, vt aiunt, incitare; quàm commovere languentem.) *ſin id aut non erit, aut erit obſcurius; ſicut medico diligenti, priuſquam conetur agro adhibere medicinam, non ſolum morbus eius cui mederi vult, ſed etiam conſuetudo valentis, & natura corporis cognoſcenda eſt; ſic equidem cùm aggredior ancipitem cauſam, & gravem, omni mente in ea cogitatione curâque verſor, vt odorer quam ſagaciſſimè poſſim,*

poſſim, quid judices iam ſentiant, quid exiſtiment, quid expectent, quid velint, quò deduci Oratione facillimè poſſe videantur. Si ſe dant, & ſuâ ſponte, quò impellimur, inclinant, atque propendent; accipio quod datur, & ad id, vnde aliquis flatus eſt, vela do: ſin eſt integer quietuſque judex; plus eſt operis: ſunt enim omnia dicendo excitanda nihil adiuvante naturâ. Sed tantam vim habet illa, quæ rectè a bono Poeta dicta eſt, flexanima atque omnium regina rerum Oratio; vt non modò inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare; ſed etiam adverſantem & repugnantem, vt Imperator bonus ac fortis, capere poſſit: præſertim ſi cum ſenſu dicat Orator; & qui judicem vult incendere, ipſe prius ardere videatur. Neque enim fieri poteſt vt doleat is qui audit, vt oderit, vt invideat, vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiamque deducatur; niſi omnes ij motus, quos Orator adhibere vult judici, in ipſo Oratore impreſſi eſſe, atque inuſti videbuntur.

——— * *Si vis me flere, dolendum eſt* * Horat. in
primùm ipſi tibi ——— At contrà fit in affectu contrario. Arte.

Gravitas in riſu movendo opportuna: qui in ridiculis, vel ridet vel ſubridet ipſe, irriſionem non riſum meretur. vide ſuprà (10)

Sicut autem affectus aut pro nobis, aut adverſus adverſarium concitare; ita pro adverſario, aut adverſus nos concitatos ſedare, prodeſt. Sedatur autem affectus concitatus, contrarium concitando. † *Quæ aut conciliationis cauſa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus infirmanda ſunt, vt odio benevolentia, vt miſericordiâ invidia tollatur.* Sic etiam ſeria iocis eluduntur; jocus ſeriâ tractatione diſcutitur. † Orat. l. 2. ¶ 66.

(h) *Amplific.* Quod Exaggeratio propriè dicitur, appellat fere Amplificationem lib. 8. c. 4 Quintilianus: vbi *Amplificandi* verbo paſſim vtitur, *Exaggerandi* tantùm ſemel: quantumvis eadem vox alia duo apud Rhetores rectius denotet: vide. (g) in cap. 3. § 6.

(i) Exaggerationem & Extenuationem interpretatur * Craſſus, augendi minuendique cauſâ, veritatis ſuperlationem. Eas Ariſtoteles ſic definit. † *Exaggeratio & diminutio ſunt Ethymemata, ad oſtendendum magnum eſſe vel parvum.* Vtramque habet * *Libra illa Critolai: qui cùm in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis & externa; tantùm propendere illam boni lancem putet, vt terram & maria deprimat.* Vnde ſic infert Cicero: *Quid igitur aut hunc prohibet, aut etiam Xenocratem illum, Exaggerantem tantopere virtutem, & extenuantem cætera, in virtute beatam vitam ponere?* * Orat. l. 3. ¶ 31 † τὸ γὰρ αὔξειν καὶ μειοῦν, &c. Theod. l. 2. c. vlt. * Tuſcul. l. 5.

Exaggerationis loci.

† Αὔξησις [Exaggeratio] *in communibus locis maximè excellit: qui communes appellati, quod videntur multarum idem eſſe Cauſarum.* † Orat. perf. ¶ 25.

Præcipui autem eius *loci* ſunt, Cauſa Effectum, Subiectum Adiunctum, Partes, Comparata, maximè Minora.

Ab Obiecto Exaggeratio eſt, quando in auditores, aut eminentes perſonas, peccari valde oſtenditur: vt Orat: l. 2. ¶ 66. *Si, quod ipſis qui audiunt pernicioſum aut invtile ſit, id factum augeat; Odium creatur.*

atur: ſin quod aut in bonos viros, aut in eos quos quiſque minimè debuerit, aut in Remp.; tum excitatur, ſi non tam acerbum odium, tamen aut Invidia aut odij non diſſimilis offenſio.

A Minori Q. l. 8. c. 4. *Interdum propoſito exemplo efficiendum eſt, vt ſit majus id quod à nobis exaggerandum eſt*: vt pro Cluentio: *Cùm Orator expoſuiſſet Mileſium quandam à ſecundis heredibus, pro abortu pecuniam accepiſſe; Quantò eſt (inquit) Oppianicus in eadem injuria majore ſupplicio dignus? Siquidem illa, &c.* Simile eſt exemplum Catil. 1. *An verò vir amplissimus P. Scipio Pontifex maximus, Tib. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipub: privatus interfecit; Catilinam orbem terræ cæde atque incendijs vastare cupientem, nos Conſules perferemus?* Hic Catilinæ Gracchus, *Orbi terrarum* ſtatus reipub., *cædi incendijs* atque *vaſtationi* mediocris labefactatio, *Conſulibus* privatus, vt minora, comparantur. *Quæ ſi quis dilatare velit, plenos ſingula locos habent.*

Auctio Incrementum.

Exaggeratio pluribus increſcens gradibus Incrementum dicitur: * Manifeſtum quidem, ſi ampliora verba cum ipſis nominibus, pro quibus ea poſituri ſumus, conferantur: vt † *Non enim furem, ſed raptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem civium ſociorumque, in veſtrum judicium adduximus*: * Potentiſſimum verò cùm magna videntur, etiam quæ inferiora ſunt: vt † *facinus eſt vincire civem Romanum; ſcelus verberare; propè parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?*

* Q. l. 8. c. 4.

† Verr. lib. 4. Orat. 6.

* Q ibidem.

† Verr. l. 5.

Extenuationis loci.

Extenuatio iſdem fit argumentis, quibus Exaggeratio; niſi quod, in Comparatis, majora pro minoribus reponenda ſunt; quia vt illic à *minoribus* aſcenditur; ita hìc à *majoribus* deſcenditur. Atque * *eadem fere ratio eſt minuendi, quæ augendi: nam totidem ſunt deſcendentibus, quot aſcendentibus gradus.*

* Q. l. 8. c. 4.

† Orat. Perf. ¶ 25.

Exaggerationis autem & Extenuationis vim permagnam eſſe docet Orator. † Augendis *rebus, & contrà* abjiciendis, *nihil eſt quod non perficere poteſt oratio: quod & inter media argumenta faciendum eſt, quotieſcunque dabitur vel amplificandi, vel minuendi locus: & pene infinitè in Perorando.* vid. (f)

DOCTRINA.

(k) *Doctrina.* Directus hìc modus, (qui non, vt alij duo, animum perturbationibus afficiendo ſed argumentis mentem informando, perſuadet) ſolus celari aut diſſimulari non vult. * *Quoniam tribus rebus omnes ad noſtram ſententiam perducimus, [aut docendo, aut conciliando, aut permovendo] vna, ex tribus his rebus, res pro nobis eſt ferenda: [vt nihil aliud, niſi docere velle videamur.] reliquæ duæ, ſicut ſanguis in corporibus, ſic illæ in perpetuis orationibus fuſæ eſſe debebunt.*

* Orat. lib. 2. ¶ 82.

(l) *Tractatione.* 1. Partibus inſitis [Propoſitione, Confirmatione, Confutatione] In his enim Explicatio, Probatio, Amplificatio, [ſive

Dilatatio

Dilatatio & Digreſſio] locum habent. Orat. l. 3. ¶ 19. *Amplificatio deſideratur omnibus ijs in locis, quis ad fidem faciendam adhibentur.* Orat. l. 2. ¶ 82. *Itaque vel Narratione expoſitâ, ſæpe datur, ad commovendos animos, Digrediendi locus, vel argumentis noſtris confirmatis, vel contrarijs confutatis, vel utroque loco, vel omnibus; ſi habet eam cauſa dignitatem atque copiam.*

(m) Explicationis vſus eſt in obſcuris, vt intelligatur quid ſit id de quo diſputetur. *Explicatio.*

(n) *Vocem.* Vox obſcura, interpretatione aut notatione, Periphraſi aut Paraphraſi, explanatur: & (ſi obſcuritas oriatur ex ambiguitate) Diſtinctione.

(o) *Rem.* Obſcura res argumentis Logicis explicatur: vt Definitione, Deſcriptione, Cauſis Effectis, Subjectis Adjunctis, Similibus, Cognatis, Contrarijs, &c.

(p) Argumentationis quatuor vulgò numerantur genera, Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, Exemplum. Equibus † Tullius duo tantùm admittit, [Syllogiſmum, quem Ratiocinationem dicit, & Inductionem.] Illam ſic definit: *Ratiocinatio eſt oratio, ex ipſa re probabile aliquod eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum, ſua ſe vi & ratione confirmet:* Iſtam ſic. *Inductio eſt oratio qua rebus non dubijs facit, vt dubia quædam res, propter ſimilitudinem, probetur: Velut apud Socraticum Æſchinem* &c. Petrus Ramus omnia vno comprehendit Syllogiſmo. Enthymema enim eſt * Syllogiſmus imperfectus; [i. membro aliquo mutilus] cùm vel Propoſitio, vel Aſſumptio, tanquam manifeſta omittitur. Inductio eſt Enthymema, in quo res vna è pluribus, propter ſimilitudinem, infertur: bona quidem & concludens, ſi exempla omnia ſeu ſpecies enumeret; aut plurima, adjecta hujuſmodi clauſula, *Nec diſſimile exemplum poteſt reperiri.* † Exemplum etiam eſt Enthymema ſeu Inductio imperfecta: cujus Argumentum cùm ſit ſingulare exemplum, ornatum potiùs Quæſtioni, quàm firmamentum affert: vnde illud, *Exempla illuſtrant non probant.* Vid. P. R. Dialect. l. 2. c. 9. & Piſcatorem in locum: vbi R. definit *Syllogiſmum eſſe Diamotan qua Quæſtio cum Argumento ita diſponitur, vt poſito antecedente, neceſſariò concludatur.* Non multò ſecus quàm Ariſtoteles: Elench. c. 1. *Vera quidem tum Ratiocinatio eſt, cùm ex quibuſdam poſitis, quidpiam ab ijs quæ poſita ſunt diverſum, ob id neceſſariò ſequitur, quia illa ſunt antè poſita.* Et Top. l. 1. c. 1. *Eſt igitur Ratiocinatio Oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam, quam quæ poſita ſunt, efficitur neceſſariò.* *Probatio.* † Invent. lib. 1. ¶ 58. * † Theod. l. 2. c. 24. *Enthymema Syllogiſmus quidam eſt.* & l. 1. c. 2. *Enthymema quidem Syllogiſmũ Oratorium; Exẽplum verò Oratoriam Inductionem appello.*

(q) Has partes P. Ramus ſic definit: *Propoſitio eſt prima pars Antecedentis, qua Quæſtionis ſaltem Conſequens cum Argumento diſponitur. Aſſumptio eſt 2 pars Antecedentis, qua aſſumitur è Propoſitione. Complexio eſt Syllogiſmi pars Conſequens qua complectitur partes Quæſtionis, eamque concludit.*

(r) *Paucioribus.* P. R. l. 2. c. 9. *Si qua pars Syllogiſmi defuerit; Enthymema dicitur.* Dicitur autem Enthymema [anima

[animo versare, cogitare.] Cùm enim sit Syllogisinus, cujus vna aliqua pars verbis non exprimitur, cogitatione illa animi supplenda est. Enthymema autem familiare est Orationibus, vt hinc Oratorius Syllogismus appelletur. vide (p)

(s) *Pluribus.* Partium Approbationes quidam apud Oratorem in Partibus numerant. Atque ita Argumentationem non modo tripartitam faciunt, quæ Propositione, Assumptione & Complexione consistit; sed quadripartitam etiam, cùm Antecedentis pars altera; & quinquepartitam, cùm vtraque Approbationem adjunctam habet. * *Hoc de genere qui diligentius considerandum putaverunt, partim quinque ejus partes esse dixerunt: Partim non plùs quàm in tres partes posse distribui putaverunt. Qui putant in quinque distribui partes oportere, aiunt, primùm convenire, exponere summam Argumentationis, ad hunc modum:* Meliùs accurantur, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur. *Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus variis, & quàm copiosissimis verbis approbari putant oportere, hoc modo:* Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus & apparatior, quàm ea quæ temerè & nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens & callidus Imperator, omnibus partibus commodiùs regitur, quàm is qui stultitiâ & temeritate alicujus administratur. Eadem navigij ratio est: nam navis optimè cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore vtitur. *Cùm Propositio sit hoc pacto approbata, & duæ partes transierint Ratiocinationis; tertia in parte aiunt, quod ostendere velis, id ex vi propositionis, oportere assumere, hoc pacto:* Nihil autem omnium rerum meliùs, quàm omnis mundus, administratur: *Hujus Assumptionis quarto in loco alias porro inducunt Approbationē, hoc modo:* Nam & signorum ortus & obitus definitum quendam ordinem servant; & annuæ conjunctiones, non modò, quadam ex necessitate, semper ex eodem modo sunt; verùm ad vtilitatem quoque rerum omnium sunt accommodatę: & diurnæ nocturnæque vicissitudines, nulla in re vnquam mutatæ, quicquàm nocuerunt. Quæ signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. *Quinto inducunt loco Complexionem eam, quæ aut id infert solùm quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo:* Consilio igitur mundus administratur; *aut, vnum in locum cùm conduxerit breviter Propositionem & Assumptionem, id adjungit quod ex his conficitur, ad hunc modum:* Quod si meliùs geruntur ea quæ consilio, quàm quæ sine consilio administrantur; nihil autem omnium rerum meliùs, quàm omnis mundus, administratur; consilio igitur mundus administratur. *Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse Argumentationem. Quatuor autem partibus constat argumentatio; cùm aut Proponimus, aut Assumimus sine Approbatione. Id facere oportet, cùm aut Propositio ex se intelligitur; aut Assumptio perspicua est, & nullius Approbationis indiget. Qui Argumentationem tripartitam esse volunt, quas illi duas partes numerant,* [*Propositionem & Approbationem,*] *dicunt sibi vnam partem videri,* [*Propositionem:*] *item quæ ab illis Assumptio,*

& *Argumentatio quinquepartita.* *Propositio.* *Approbatio.* *Assumptio.* *Approbatio 2.* *Complexio simplex.* *Complexio composita.* *Argumentatio quadripartita.* *Argumentatio tripartita.*

& Assumptionis Approbatio dicitur, eandē sibi Assumptionem solā videri. Sed revera Approbatio neque pars est Syllogismi principalis, vt illi; neque pars partis, vt isti sentiunt, censenda: sed separatum illius partis, ad quam spectat, firmamentum: quod in † Prosyllogismum hoc modo formetur: *Si domus, exercitus, navigium, & cætera ejusdem generis, melius consilio, quàm sine consilio reguntur; tum melius accurantur ea quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur: sed verè assumitur Antecedens: ergo verum est & Consequens.* Simili Prosyllogismo Approbatio Assumptionis ipsam concludit. *Prosyllogismus*

† Prosyllogismus est Syllogismus Approbatorius, additus Principali Syllogismo, ad dubias illius partes approbandas: vt quamvis simplici jam scribatur Sigma, tamen ex πρὸς non πρὸ componi videatur. vide Anal. prior. l. 1. c. 26.

De Argumentis [materiâ Argumentationum] eorumque generibus, vide Inventionem: De Argumentationum, & vario Partium, ordine, vide Dispositionem.

(t) *Amplific.* Orat. l. 3. ¶ 19 notatur *Amplificationis* præ...antia: *Summa Latinæ eloquentiæ est Amplificare rem ornando:* atque Partit: ¶ 45 proprius illius locus: *In cursu Orationis declinationes ad amplificandum dantur, Confirmatâ re aliquâ, aut reprehensâ.* *Amplificatio.*

(v) *Dilatatio est* Partit. ¶ 30. *Quando oratio ex verbo dilatatur, & verbum in plura verba deducitur: aut cùm quod semel dictum est directè, sicut natura ipsa tulerit, inverso ordine, quasi sursum versus retroque dicitur: deinde intercisè atque permistè.* *Dilatatio.*

(u) *Argumentis.* Præcipui Dilatationis loci sunt Causæ effecta, Subjecta adjuncta, Opposita cōparata, Definitio distributio, Genus species, Testimonia exempla: De communi, hìc, locorū præstantiâ sic Orator: † *Amplificatio in communibus locis maximè excellit: qui communes appellantur, quòd videntur multarum esse causarum.* Quanquam Idem ¶ 25. * alibi videtur Dilatationem ad locum Generis, vel omninò, vel præcipuè, restringere: *Nemo erat qui dilatare posset, atque à propria ac definita disputatione, hominis ac temporis, ad communem quæstionem universi generis orationem traducere.* & Orat. l. 3. ¶ 19. *Ornatissima sunt orationes eæ, quæ latissimè vagantur, & à privata ac singulari controversiâ, se ad universi generis vim explicandam conferunt: vt ij qui audiunt, naturâ, & genere, & universâ re cognitâ, de singulis reis, & criminibus, & litibus statuere possint.* † Orat. Perf. * Brut: ¶ 140.

Exemplum Dilatationis ex effectis est illa quam habet Seneca, Irati hypotyposis: † *Vt scias insanos esse, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere: nam vt furentium certa judicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citati gradus, inquieta manus, color mutatus, crebra & vehementia suspiria.* † Lib. 1. de ira.

(x) *Digressio.* Q. l. 4. c. 3. Παρέκβασις est alienæ res, sed ad utilitatem causæ pertinentis extra ordinem excurrens tractatio. Παρέκβασις *Digressio.* Ἔκφυσις *Regressio.*

(y) *Delectandi.* Orat. l. 3. ¶ 31. *Permultum movet abs re non longa Digressio: in qua cùm fuerit delectatio, tum Reditus ad rem aptus, &*

con-

concinnus esse debbit: vt Orat: 2. *Sed vt revertatur vnde hec declinavit oratio.* Delectat autem Digressio in * laudem & vituperium hominum locorumve, descriptionem locorum, narrationem rerum non solùm gestarum, sed etiam fabulosarum, adhortationem, dehortationem, monitionem, rogationem: quo ex genere est, in orationibus contra Verrem compositis, † Siciliæ laus, * Proserpinæ raptus, &, pro L. Cornelio, popularis illa virtutum Cn: Pompeij commemoratio.

* Ll. 4. c. 3.

† Lib: 2.

* Lib. 4.

(2). *Argument.* Præcipui Digressionis Loci sunt, causa effectum, subjectum adjunctum, genus species: sed à specie ad genus Digressio, vt in Dilatione, excellit. Talis est pro Archia Poëta: vbi Orator post Confirmationem Propositionis (quæ fuit, *Archias à numero ciuium segregandus non est*) ab illius eruditione, in generalem studiorum & literarum laudem Digreditur: *Quæres à nobis Gracche* &c. sed non nisi veniam priùs precatus; *Quæso à vobis, vt, in hac causa mihi detis hanc veniam, vt pro summo Poeta, atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestrâ humanitate, pâtiamini, de studijs humanitatis ac literarum, paulo loquiliberius.* Regressio tandem concinna adhibetur: *Quoties ego hunc Archiam vidi, &c.*

Amplificationum exempla sunt insignia pro Murana.

Vbi cùm tres sint accusationis partes, [1 Reprehensio vitæ, 2 Contentio dignitatis, 3 Crimen ambitus;] in reprehensione vitæ, Catoni, qui Saltationem Murænæ objecerat, probat Orator, hoc verè objici non posse; quia non reperiuntur in eo concomitantes Saltationis causæ, [*ebrietas, insania, intempestiuum & turpe conuiuium, amæni loci, multæ delicia, amor, comessatio, libido, sumptus:*] *quibus remotis, hoc* (inquit) *vitium omnino esse non potest.* Quæ Dilatatio est luxuriæ: quam mox solam, tanquam hæc omnia complectentem, nominat. *In quo ipsam Luxuriam reperire non potes, in eo te vmbram luxuriæ repertum putas?* In contentione dignitatis, tres sunt illustres comparationes. Prima est veteris & novæ nobilitatis: quam ex causis, [virtutibus & virtutum præmijs,] nec non nobilissimorum virorum exemplis dilatat: præcipuè Pompeij & Æmilij. *Nec mihi vnquam minus, in Q. Pompeio, novo homine & fortissimo viro, virtutis esse visum est; quam in homine nobilissimo M. Æmilio. Etenim ejusdem animi atque ingenij est, posteris suis, (quod Pompeius fecit) amplitudinem nominis, quam non acceperat, tradere; &, vt Scaurus, memoriam propè intermortuam generis sui, virtute renovare.* Altera est Iurisprudentiæ & virtutis bellicæ: in qua Digreditur ad objectionem quandam Sulpitij: cui cùm respondisset; hac Epanodo regreditur ad inceptam Comparationem: *Sed, vt, hoc omisso ad studiorum atque artium contentionem revertamur, Qui potest dubitari* &c. Hac finitâ Comparatione, (qua docet Murenam, ob virtutem bellicam, dignioremesse Consulatu, quam Sulpicium ob jurisprudentiam) Digreditur in tertiam comparationem, jurisprudentiæ sc: & dicendi facultatis. *Grauis etiam illa est* &c. Est autem

Dilatatio.

Dilatatio.

Digressio.

Regressio.

Digressio.

autem hæc postrema comparatio, non Dilatatio, sed Digressio dicenda: quippe quæ, præter rem, delectandi gratiâ, adducitur. Propositam enim Candidatorum contentionem, vt priores duæ, non attingit. Porro ibidem in Oratiuncula ad Catonem, cui de crimine Ambitus separatim respondet, statim ab Exordio, in quo judices conciliat, deprecando nequid Catonis authoritas, & dignitas, Causæ L. Murænæ officiat, Digreditur in brevem ipsius Catonis commendationem. Atque inde novam facit Digressionem, in longiusculam, sed lepidam ejus, ejusque dogmatum, (quæ ex nimis difficili & austerâ Stoicorum schola hauserat) reprehensionem. Tandem sic regreditur: *Quare vt ad id quod instituì revertar tolle mihi è causa nomẽ Catonis: remove ac prætermitte authoritatem: quæ in judicijs aut nihil valere, aut ad salutem valere debet: congredere mecum criminationibus ipsis.* Atque ita rem ipsam aggreditur, [criminationem sc. Ambitus:] quam cùm diluisset, Digreditur in acrem, adversus conjuratos, invectivam: deinde in seriam & gravẽ, ad ipsum Catonẽ, exhortationẽ, vt sibi & Reipub: prospiciat: Postremò patheticâ conquestione, deprecatione, & repromissione perorat.

* *Digressio.* *Digressio.* *Regressio.* *Digressio.* *Digressio.*

Has, de tribus Persuadendi modis, [Doctrinâ, Conciliatione, Concitatione,] præceptiones, concludat prudens illa Antonij praxis. † *Ego cùm ad causam sum aggressus, atque omnia, cogitando, quo ad facere potui, persecutus; cùm & * Argumenta Causæ, & eos locos quibus animi judicũ † concilientur, & illos quibus * permoventur, vidi; tum constituo, quid habet quæque Causa boni, quid mali. Boni quod habet, id amplector, exorno, exaggero: ibi commoror, ibi habito, ibi hæreo: à malo autem vitioque Causæ ita recedo, non vt id me defugere appareat; sed vt totum, bono illo ornando & augendo, dissimulatum obruatur. Et si Causa est in Argumentis; firmissima quæque maximè tueor sive plura sint sive aliquod vnum: sin autem in Conciliatione, aut in Permotione Causa est; ad eam me potissimum partem, quæ maximè commovere animos hominum potest, confero.*

† Orat. l. 2.

* 1 Doctrina. † 2 Conciliatio. * 3 Concitatio.

C. 2. § 3.
De Stylo.

ATque hæc de Orationis definitione.

Communis ejus affectio est Stylus: qui & Character, & dicendi genus, dicitur: hoc est, certa Orationis forma, ex certis vocabulis, phrasibus, sentẽtijs, & ornamẽtis, orta. Est autẽ (a) triplex: Subtilis, Grandis, Mediocris. *Stylus triplex.*

Subtilis constat verbis proprijs & perspicuis, idoneus ad Docendum: in quo acumen. Mediocris verbis modificatis, inprimis Metaphoris suavibus ac decoris, Figuris, præsertim dictionis, Apophthegmatis, Sententijs placidis, & elegantibus, ad

Interconciliandum: in quo lenitas. Grandis(b) verbis magnificis, compositis, polysyllabis, priscis, novatis, à vulgata consuetudine loquendi remotis, hyperbolicis Metaphoris, Allegorijs, Figuris excellentibus, præsertim sententiæ, [vt Exclamatione, Epiphonemate, Aposiopesi, Apostrophe, & Prosopopeia,] Adagijs, Sententijs patheticis, tum dicentis, tum aliunde citatis, ad Movendum: in quo gravitas requiritur.

Diversos hosce Characteres, vt (c) diversa dicentiũ ingenia pepererunt; ita (d) diverse audientium personæ, & diversæ rerum conditiones requirunt: qui (e) omnes non solùm in diversis Orationibus; sed etiam in diversis ejusdem Orationis partibus prudenter adhibendi.

Sunt, præter hos tres primarios modos, (f) alij complures secundarij. Dicitur enim Stylus purus & sordidus, acutus & crassus, dilucidus & obscurus, asper & mitis, concitatus seu velox & tractus seu tardus, vehemens & remissus, petulans & comis, (g) Asianus & (h) Laconicus, atque inter hos interjectus (i) Rhodius: &c.

Ad c. 2. §. 3.

(a) *Triplex.* Triplicem hunc Stylum sic docet Fabius lib. 12. c. 10. "Vnum dicendi genus Subtile, quod Ἰσχνὸν vocant: alterum grande atq; "robustum, quod constituunt Ἀδρὸν: tertium, alij medium ex duobus, "alij Floridum (namque id ἀνθηρὸν appellant) addiderunt. Quorum "tamen ea fere ratio est, vt primum Docendi, secundum Movendi, "tertium illud Delectandi, sive Interconciliandi, præstare videtur offi"cium. In Docendo autem acumen, in Movendo gravitas, in Intercon"ciliando lenitas, videatur. Itaque illo Subtili præcipuè ratio Nar"randi Probandique constet: sed quod etiam detractis virtutibus, suo "genere plenum sit. Medius hic Modus & translationibus crebrior, "& Figuris erit jucundior, Digressionibus amœnus, compositio"ne aptus, sententijs dulcis; lenior tamen, vt amnis lucidus quo"dam, & virentibus vtrinque sylvis inumbratus. At ille, qui saxa de"volvat, & pontem indignetur, & ripas sibi faciat, multus & torrens, "judicem vel initentem contrà ferat, cogatque ire quà rapit. Hic Orator "& defunctos excitabit: vt † Appium: apud hunc & Patria ipsa * excla"mabit, aliquemque alloquetur: hic & Amplificationibus extollet ora"tionem, & vi Superlationum quoque eriget &c. Quare si ex tribus "his generibus, necessariò sit eligendum vnum; quis dubitet hoc præ"ferre omnibus, & Validissimum alioqui, & maximis quibusq; Cau-

† Pro Cœlio.
* Catil. 1.

sis

" sis accommodatissimum. *Et sic Tullius Orat. Perf.* ¶ 3. " Tria sunt " omnino genera dicendi: Nam & Grandiloqui fuerunt, cum amplâ & " sententiarum gravitate, & majestate verborum, vehementes & va- " rij, copiosi & graves; ad permovendos, & convertendos animos in- " structi & parati. Et contrà tenues, acuti, omnia docentes; & dilucidi- " ora non ampliora facientes, subtili quâdam & pressâ oratione limati. " Est autem quidam interjectus intermedius, & quasi temperatus, nec " acumine posteriorum, nec fulmine vtens superiorum: vicinus ambo- " rum, in neutro excellens, vtriusque particeps, vel vtriusque potiùs ex- " pers. Quibus in singulis quidam floruerunt: peræque autem (id quod " volumus) perpauci in omnibus.

In Subtili Menelaus, in Mediocri Nestor, in Grandi Vlysses dicitur Oraviſſe. † *Nam & Homerus brevem quidem cum animi jucunditate, & propriâ, & carente superfluis Eloquentiâ* * *Menelao dedit, (qua sunt virtutes generis illius primi) & ex ore* † *Nestoris dixit, dulciorem melle profluere sermonem: qua certè delectatione nihil fingi majus potest. Sed summam aggressus, vt in* * *Vlysse, facundiam, magnitudinem illis junxit: cui orationem nivibus hybernis, copiâ verborum atque impetu, parem tribuit. Hanc vim & celeritatem in Pericle miratur* † *Eupolis: hanc fulminibus* * *Aristophanes comparat.* Conjunctam verò in omnibus * præstantiam, † Cicero vni, inter Græcos, concedit Demosthenis; & * Fabius inter Latinos, vni Ciceroni. Vnde vterque sibi Eloquentis nomen meritus est. † *Is enim est Eloquens, qui humilia subtiliter, & magna graviter, & medio(ri)a temperatè potest dicere.*

† Q. d. c.
* Iliad. γ.
† Iliad. α.
* Iliad. γ.
† In Comœdia Δᾶμοι.
in Nebulis.
† Vide (h)
* Vide (f)
† Orat. Perf. ¶ 18.

(b) *Verbis magnificis.* Cavendum hìc est, ne dum dicendi sublimitatem ineptè consectamur, in tumidum incidamus & inflatum genus eorum, qui dictiones proprias & notas prorsus aspernantes, obscuris, peregrinis, obsoletis, præter rationem novatis, præter morem compositis, & decompositis, præter modum hyperbolicis (quas * Poëta vocat *Ampullas & sesquipedalia verba*) puerìliter oblectantur. Hos sic redarguit Melancthon: *Vitiosi sunt in hoc genere dicendi, Tumidi & inflati: qui nimis grandes dicendo esse cupiunt, qui nihil proprij afferunt, sed perpetuas periphrases, & prodigiosas Metaphoras.*

* Horat. ad Tullam.

(c) (d) *Diverſ.* Q. l. 12. c. 10. *Mihi autem orationis differentiam fecisse, & dicentium & audientium natura videntur.*

(e) *Omnes.* Q. l. 12. c. 10. *Stultissimum est quærere, Ad quem Stylum vesturus se sit Orator; cùm omnis species, quæ modò recta est, habeat vsum; atque id ipsum omne sit Oratoris, quod vulgò dicendi genus vocant: vtetur enim, vt res exiget, omnibus: nec pro causâ modò, sed etiam pro partibus causæ.*

(f) *Alij complures.* Q. ibidem. " Sed neque his tribus quasi formis inclusa Eloquentia est. Nam vt inter Gracile validumque tertiũ " aliquid constitutum est; ita horum intervalla sunt. Atque inter hæc " ipsa mistum quiddam ex duobus medium est eorum. *Et paulo antè,* " In Oratione, si species intueri velis; totidem pene reperias ingeniorum, quot corporum formas. Hinc sunt Lælij, Africani, Catones, Gracchique

" chique, quos licet * Polygnotos vel Calonas appelles. Mediam illam " formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflores- " cat, non multùm inter se distantium temporum, Oratorum ingens " prouentus. Hinc vim Cæsaris, indolem Cœlij, subtilitatem Callidij, " grauitatem Bruti, acumen Sulpitij, acerbitatem Cassij, diligentiam " Pollionis, dignitatem Messalæ sanctitatem Calvi, reperiemus. In his " etiam quos ipsi vidimus, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem " Afri, jucunditatem Crispi, ionum Trachalli, elegantiam Secundi. At " MARCVM TVLLIVM, non illum habemus † Euphranorem, circa " pluriu m artium species præstantem; sed in omnibus, quæ in quòque " laudantur, eminentissimum.

* † De Polygnoto, Calone, Euphranore, aliisque diversorum temporum pictoribus, quibus succedaneas Oratorum series assimilat Quintilianus, vide Locum.

Stylus Asianus. (g) Stylus Asianus est copiosum & laxum dicendi genus, quo vnam eandemque rem, alijs verbis sæpius dicere, aut quod paucis exponi potuit, pluribus dilatare, solemus, verborum magis quàm rerum copiam affectantes.

Convenit hic Stylus Adolescentibus, ad quem natura ipsa eos comparâsse videtur. In Adolescentia enim, corpore ob humoris abundantiam adolescente, adolescit etiam & abundat, vt cogitatio, ita & oratio: cùm in adulta maturâque ætate, vt corpus succescit, ita minùs abundanter fluit oratio; quòd maturior tum viget & strictior animi cogitatio.

† Brut: ¶ 140. Itaque Orator, † *Genus dicendi Asiaticum aptius est Adolescentibus: in Senibus grauitatem non habet.*

* Ibidem † De qua oratione, Brut. ¶ 140. *Prima Causa publica pro Sex. Roscio dicta, tantum commendationis habuit &c.*

Floruit in hoc genere inter veteres * Hortensius, Menecles, & alij: atq; ipse Cicero aliquandiu, vt † pro Sex: Roscio, pro Quinctio, cæteriſque quas invenis habuit Orationibus, videre est. Item ingenuus ille juvenis Sulpitius: de quo Orat. l. 2. ¶ 43 Antonius: *Hunc ego, Catule, Sulpicium, primùm in causa parvula, adolescentulum audivi, voce, & formâ, & motu corporis, & reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quærimus: orationem autem celeri & concitatâ, quod erat ingenij, & verbis efferuescentibus, & paulò nimium redundantibus, quod erat ætatis: non sum aspernatus. Volo enim se efferat in adolescente fœcunditas. Nam sicut in vitibus facilius revocantur ea, quæ sese nimium profuderunt, quàm si nihil valet materies, nova sarmenta culturâ excitantur; ita volo esse in adolescente, vnde aliquid amputem: non enim potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assequutum.*

Atque inter recentes, Osorius: de quo memini doctum illum Doctorem Humfredum, interrogatum quid sentiret, acutè respondisse,

He is a very wordie man.

Stylus Laconicus. (h) Stylus Laconicus est concisum & strictum dicendi genus: in quo nec res dicuntur superfluæ, nec verbis superfluis necessariæ.

Convenit

Convenit, hic Stylus adultis, occupatis, & superioribus: vt in Orationibus magistratuum ad populum, principum ad subditos, imperatorum ad milites, parentum ad liberos, dominorum ad servos. Item in dandis suffragijs & sententijs, in responsis ad legatos; aut siquando magnum improvisò obvenerit negotium, vel casus inopinatus qui moram non fert, Laconismus opportunus est.

Principes in hoc genere extiterunt: Plautus, Seneca, Tacitus, Apuleius: atque, inter recentes, Politianus, & Iustus Lipsius: quem sic effert & profert Kekermannus: *Lipsium hic pro summo artifice agnosco, & commendo: & existimo consultum esse, qui Laconicum dicendi genus consectatus non sunt. Lipsium tamen legant, propter singularem quandam in connectendo felicitatem, quæ in ipsius scriptis vbique dominatur: vt qua etiam valde prodest ijs, qui medium dicendi genus inter Asiaticum & Laconicum tenebunt: imo omnibus qui non volent scribere aut dicere dissolutè, sed compactè & nervosè.*

Strictum hoc dicendi genus, quidam apud Q. Atticum appellant: interim nimis strictè, cum Atticis agentes, quorum est, nec concisè modò, nec copiosè; neque subtiliter, neque sublimiter, neque mediocriter, dicere; sed, vt cæteris dicendi virtutibus, ita omnibus dicendi generibus opportunè vti: hoc est, eloquenter seu optimè dicere. Sic enim ibidem Q. *Melius de hoc nomine sentiant credantque, Atticè dicere esse optimè dicere.* Atque Tullius Demosthenem, quòd tribus illis Stylorum generibus vnus excelluit; & maximè Atticum, & maximè dicit eloquentem: * *Longè omnibus vnum antefero Demosthenem. Hoc nec 3. Gravior extitit quisquam, nec 1. Callidior, nec 2. Temperatior. Itaque nobis monendi sunt ij, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Atticè dicere; vt mirentur hunc maximè: quò ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas.* Vnde † alibi infert, *Oratorem planè perfectum, & cui nihil admodum desit, Demosthenem facilè dixeris.*

Stylus Atticus.

* Orat. Perf. ¶ 4.

† Brut. ¶ 31.

(1) Stylus Rhodius est medium dicendi genus inter Asianum & Laconicum: in quo verba rebus fere æquantur. De quo sic Quin. *Tertium mox, qui hæc dividebant, adjecerunt genus Rhodium: quod velut medium esse, atque ex vtroque mistum volunt: Neque enim Laconicè pressi, neque Asianè sunt abundantes.*

Stylus Rhodius.

Convenit hic Stylus omnis ætatis atque ordinis hominibus: præsertim ijs, qui promptam in dicendo facultatem consectantur. Nam vt Asianismus nimis diffundit cogitationes, & mentem quodammodo laxat, vt magis cogitet de verbis quàm de rebus; ita Laconismus cogitationem nimis constringit, vt meus nostra sollicitudine quadam compressa, minùs cogitet de verbis, quàm promptitudo loquendi requirit. Commodè etiam vsurpatur hic Stylus in plerisque materiis: potissimùm verò in Docendo & Explicando.

Eminet in hoc genere Salustius: &, inter recentes, Erasmus Roterodamus, & Ludovicus Vives: *quos ego duos Authores* (inquit * Keckermannus) *persuasus sum, non minoris cum fructu legi, & imita-*

* Specialis Rhet. l. 1. c. 28.

imitatione Styli exprimi posse; quàm quemvis veterum, puto. Istis ego tertium, Ioannem Calvinum, non immeritò annumerandum censeo: cujus Stylum, vt purum & exquisitum; ita nec rebus nec verbis, aut defici..em aut abundantem, qui cum judicio *Institutiones* legerit, inveniet: vt verum sit de Calvini, quod de Catuli oratione dictum est,

† Orat. l. 3. ad initium. † *Quicquid aut addideris, aut mutaveris, aut detraxeris, vitiosius & deterius futurum.*

Cap. 3. De Partibus Orationis,
§ 1. *De Exordio.*

PArtes Orationis sunt (a) sex: Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

E quibus tres sunt principales, & Causis insitæ: [Propositio, Confirmatio, Confutatio:] tres reliquæ ascititiæ; duæ sc. (b) præparantes, [Exordium, Narratio;] vna concludens, [Peroratio.] Præparantes auditorem faciunt docilem: Principales docilem docent: Concludens porro jam doctum firmat.

Πρόοιμιον *Exordium.* Exordium est Orationis (c) initium, seu prima pars ascititia, quæ, (d) benevolentiam & (e) attentionem conciliando, docilem facit auditorem. Estque vel (f) Principium, vel Insinuatio.

Principium. (g) Principium est Exordium rectum: in quo recta & aperta est benevolentiæ & attentionis captatio. Atque hoc Causæ honestæ & laudabili, coram judicibus æquis, convenit.

Insinuatio. (h) Insinuatio est Exordium obliquum: quo quis, per obliquas ambages, & fallacia blandimenta, auditoris animo paulatim surrepit, eique se insinuat. Atque hæc apud judices, vel propter Causæ turpitudinem, vel quòd ab adversario antè sint persuasi, vel quòd audiendo jam defatigentur, aversos, est opportunum.

Ad cap. 3. § 1.

(a) *Sex*: Hunc partium numerum atque ordinem docet Quintilianus lib. 4. &c. &, apud Ciceronem, Crassus Orat. lib. 1. ¶ 37. *Etiam illa cognôram & acceperam, antequàm de re diceremus, 1. initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent: 2. deinde rem demonstrandam: 3. postea*

3. *postea controversiam constituendam:* 4. *tum id quod nos intenderemus confirmandum:* 5. *post quæ contrà dicerentur reflectenda:* 6. *extremâ autem Oratione, ea quæ pro nobis essent, amplificanda & augenda; quæque essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda.* Et Orat. lib. 2. ¶ 43. Antonius: vbi de Rhetoribus Græcis dicit, *Iubent,* 1. *Exordiri, ita vt eum qui audiat benevolum nobis faciamus, & attentum:* 2. *deinde rem Narrare, ita vt verisimilis Narratio sit, vt aperta, vt brevis:* 3. *post autem Dividere Causam, aut Proponere:* 4. *deinde nostra confirmare argumentis ac rationibus; &* 5. *contraria refutare:* 6. *postremo Concludere & perorare.* Aristoteles quidem Theod: lib. 2. c. 13. duas tantùm facit Orationis partes: [Propositionem, & Fidem.] *Sunt igitur duæ Orationis partes. Necesse est enim primùm rem proponere, de qua; deinde demonstrare.* Et mox, *Quare partes necessariæ, Propositio & Fides. Nam quæ in adversarium feruntur, ad Fidem faciendam dicuntur.* Et cap. 17. postquàm de Confirmatione dixisset, *Cùm verò,* inquit, *adversarij locos aggredimur, non in alia parte, sed in Fide faciendâ adhuc versamur: ac alios obyciendo, alios argumentando, dissolvimus.* Atque vt hic Philosophus, sic Partit: ¶ 26. Orator, duas facit Fidei partes: *Quæ ad Fidem faciendam pertinent, in Confirmationem, & Reprehensionem dividuntur: nam in Confirmando, nostra probare volumus; in Reprehendendo, redarguere contraria.* Veruntamen d. c. 13. Partes etiam ascititias ille memorat [Exordium, Narrationem, & Perorationem.] Atque ita binæ initio partes in senarium tandem numerum excrevere.

(b) *Præparantes.* Q. in Procœmio libri 5. *Neque Procœmij, neque Narrationis, est alius vsus, quàm vt judicem præparent.*

(c) *Initium.* Theod. l. 3. c. 14. "Exordium est Orationis initi-
"um, sicuti in Poësi Prologus, & in lyræ pulsatione præludium. Om-
"nia enim hæc initia sunt, & quasi viæ ad sequentia præparatio. *Et Q. l.* 4. *c.* 1. "Quod Latinè Exordium dicitur, majore quâdam
"ratione Græci videntur ἐφόδιον nominâsse: quia à nostris Initium
"modò significatur; illi satis clarè partem hanc esse ante ingressum
"rei, de qua dicendum sit, ostendunt. Nam sive propterea, quòd
"ἐφόδιον cantus est, & citharœdi pauca illa quæ antequàm legitimum car-
"men inchoent, emerendi favoris gratiâ, canunt, procœmium cog-
"nominaverunt; Oratores quoque ea quæ, priusquàm Causam exor-
"diantur, ad conciliandos sibi judicum animos proloquuntur, eâdem
"appellatione signârunt: sive quòd ὁδὸν idem Græci viam appel-
"lant id, quod ante ingressum rei ponitur, sic vocare est institutum; cer-
"tè procœmium est, quod apud judicem priusquàm causam cognoverit, profit.

(d) (e) *Benevolentiam & attent.* T. Iuvent. l. 1. ¶ 26. *Exordium est oratio animum auditoris idonèe comparans ad reliquam dictionem: quod eveniet, si eum benevolum, attentum, [docilem] fecerit.* Et Q. l. 4. c. 1. *Causa Exordij nulla est alia, quàm vt auditorem, quo sit nobis in cæteris partibus accommodatior præparemus.* Præparari verò, seu Docilitas.

seu docilem fieri auditorem, docet Aristoteles, si benevolentiam ejus & attentionem tibi, vt contrà, iram & contemptum adversario acquiras. * *Auditor* (inquit) *disponitur, si ad benevolentiam, vel ad iram provocatur: & interdum si attentus fit, aut contrà contemnens.* Hinc enim fit docilis: vt idem mox, *Ad docilitatem igitur omnia refert; si quis vult etiam, vt probus videatur: his enim magis attendunt.* Vnde Author ad Heren. † *Docilis is est, qui attentè vult audire*: & Orator, * *Is maximè docilis est, qui attentissimè paratum est audire.* Neque enim Exordium alio quovis modo, quàm benevolentiam & attentionem conciliando, docilem reddat. Nam quod loco proximè citato dicitur, *Dociles auditores faciemus, si apertè & breviter summam Causæ exponemus,* [*hoc est, in quo consistat controversia*;] non illud Exordij est, sed Propositionis: neque tam dociles facit, quàm docere incipit.

* Theod. l. 3. c. 14.

† l. 1. ¶ 13.

* Invent. l. 1. ¶ 31.

Benevolentia à personis.

(d) Benevolentia aut à personis, aut à Causis ducitur. *Personæ* ab Oratore constituuntur tres: Cliens noster, Adversarius, judex.

† Invent. l. 1. ¶ 31.

† "Benevolentia quatuor ex locis comparatur: ab nostra, ab Adversa-
"riorum, ab judicum persona, ab ipsa re. 1. Ab nostra, si de nostris
"factis & officijs sine arrogantia dicemus: si crimina illata, & ali-
"quas minùs honestas suspiciones injectas diluemus: si quæ incom-
"moda acciderint, aut quæ instent difficultates proferemus: si
"prece & obsecratione humili, ac supplici vtemur. 2. Ab adversario-
"rum autem, si eos aut in odium, aut in invidiam, aut in contempti-
"onem adducemus. In odium ducentur, si quid eorum spurcè, superbè,
"crudeliter, malitiosè, factum proferatur. In invidiam, si vis eorum,
"potentia, divitiæ, cognatio, pecuniæ, proferentur; atque eorum vsus
"arrogans & intolerabilis, vt his rebus magis videantur, quàm Causæ
"suæ confidere. In contemptionem adducentur, si eorum inertia, ne-
"gligentia, ignavia, desidiosum studium, & luxuriosum otium, profe-
"retur. 3. Ab auditorum persona benevolentia captabitur, si res ab his
"fortiter, sapienter, mansuetè, gestæ proferentur, vt nequa assentatio
"nimia significetur: &, si de his, quàm honesta existimatio, quantaque
"eorum judicij & authoritatis expectatio sit, ostendetur.

* l. 4 c. 1.

Tribus hisce personis, annumerat * Fabius duos patronos. *Persona* (inquit) *sunt, Litigator, Adversarius, Actor, Patronus, judex.*

à Litigatore.

"Litigatoris persona tractanda variè est. Nam tum dignitas eius
"allegatur, tum infirmitas: merita nonnunquam referenda: ad litem
"magnâ atque honestâ ratione, aut etiam necessitate accessisse videa-
"tur. Multum agit sexus, ætas, conditio, in fœminis, senibus, pupil-
"lis, coniuges, liberos, parentes, allegantibus. Nam solà rectum quo-
"que judicem inclinat miseratio.

ab Adversario.

"Adversarii quoque persona, propè iisdem omnibus, sed è contra-
"rio ductis, impugnari solet. Nam & potentes sequitur invidia, &
"humiles abjectosque contemptio, & turpes ac nocentes odium: quæ
"tria sunt ad alienandos judicum animos potentissima. Neque hæc
"dicere satis est: pleraque augenda, aut minuenda, vt expediet. Hìc
"vt nostrum miserabilem, si vincamur, exitum; ita adversariorum su-

"perbum,

" superbum, si vicerint, vtile est credi.

" Plurimum momenti est in hoc positum, si Actor Causæ vir bonus *ab Actore.*
" creditur: sic enim continget, vt non studium advocati videatur afferre, sed pene testis fidem. Actoris etiam facundia favorem poterit conciliat; vt neglecta & crassa oratio fastidium. Iudices enim exigunt sollicitas, & accuratas actiones: contemnique se, nisi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt: nec doceri tantùm, sed etiam delectari volunt. Gratum tamen istud artificium non futilitèr ostentare, sed vel modestè dissimulare, vel humiliter extenuare oportet. Nam vt præcipua in hoc dicentis authoritas, si omnis, in subeundo negotio, suspicio sordium, aut odiorum, aut ambitionis abfuerit; ita quædam in his quoque commendatio tacita, si se infirmum & imparem, ingenio contradicentis dixerit: est enim naturalis favor pro laborantibus. Cavendum etiam ne superbus, malignus, contumeliosus, in quenquam videatur: præcipuè in eos, qui lædi, nisi aversâ judicum voluntate, non possunt. Fiducia quoque tam advocati, tum clientis, in causa etiam indubitabili, se ipsa minimè exerere debet: odit enim judex fere litigantis securitatem: cùm jus suum intelligat, tacitus reverentiam postulat.

" Etiam partis adversæ patronus dabit Exordio materiam, si, elo- *à patrono Adversarij.*
" quentiam ejus, ac gratiam nos timere fingendo, vt ea suspecta sit judici, fecerimus. Multum etiam gratiæ Exordio est, quod ab actione diversæ partis materiam trahit: hôc ipso, quòd non compositum domi, sed ibi atque è re natum; & facilitate famam ingenii auget, &, facie simplicis sumptique è proximo sermonis, fidem quoque acquirit: adeo vt, etiamsi reliqua, scripta, atque elaborata sint; tamen plerùmque videatur tota extemporalis oratio, cujus initium nihil præparati habuisse manifestum est.

" Iudicem conciliabimus nobis, si laudem ejus ad vtilitatem nos- *à Iudice.*
" træ Causæ conjungerimus: vt allegemus, pro honestis, dignitatem illi suam; pro humilibus, iustitiam; pro infœlicibus, misericordiam. Mores quoque (si fieri potest) judicum velim nosse. Nam prout asperi, lenes, jucundi, graves, duri, remissi, erunt; aut assumere in Causam naturas eorum, quà competent; aut mitigare, quà repugnabunt, oportet: & detrahenda vel confirmanda opinio, siquam, præcipuè domo, videbuntur attulisse. Neque si aut nobis inimici, aut adversario amici sint; eos ideo conciliare desperes. Probos enim ducit, non affectus, sed iustitia: & pravis est nonnunquam hic ambitus, adversus amicos, aut pro his quibuscum simultates gerunt, pronunciandi; iniustè ne fecisse videantur.

Ex Causis & rebus quì comparetur benevolentia, docet Orator *Benevolentia*
Invent: lib. 1. ¶ 31. *Ab ipsis rebus; si nostram Causam laudando ex-* *ex Causis.*
tollemus, Adversariorum Causam per contemptionem deprimemus.

Et Fabius l. 4. c. 1. *Sin Cauſa conciliandis nobis judicis materiam dabit, ex hoc potiſſimum aliqua in uſum Exordij, quæ maximè favorabilia videbuntur, decerpi oportebit.* Atque hinc præcipuè Exordia ducit vult Antonius: † *Non extrinſecùs alicunde quærenda; ſed ex ipſis viſceribus Cauſa ſumenda ſunt. Idcirco, totâ Cauſa pertentatâ, atque perſpectâ, locis omnibus inventis atque inſtructis, conſiderandum eſt, quo principio ſit utendum: ſic & facilè reperietur, & momenti aliquid afferet, cùm erit pene ex intima Defenſione depromptum; & apparebit illud non modo non eſſe commune, nec in alias Cauſas poſſe transferri; ſed penitus ex ea Cauſa, quæ tum agatur defluxiſſe.* Atque ita (ut idem paulò antè) *quod primò dicendum eſt, poſtremo cogitandum eſt. Nam ſiquando id primum invenire volui; nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, aut commune.*

† Orat. l. 2. ¶ 82.

Attentio. (e) *Attent.* Ut *Benevolentia*, ita etiam *Attentio*, Docilitatè parit. * *Quos enim libentiùs audimus, iis facilius credimus.* Attentos autem facit auditores, vel ipſius Attentionis † petitio, vel rerum, quas audire deſiderant, promiſſio: quales ſunt magnæ, novæ, utiles, jucundæ. Theod. l. 3. c. 14. *Attenti autem fiunt rebus magnis, ſuis, novis, jucundis.* Tul. Invent. l. 1. ¶ 31. *Attentos faciemus, ſi demonſtrabimus, ea qua dicturi erimus, magna, nova, incredibilia eſſe; aut ad omnes, aut ad eos qui audiunt, aut ad aliquos illuſtres homines, aut ad Deos immortales, aut ad ſummam Reipub. pertinere: & ſi pollicebimur, nos brevi noſtram Cauſam demonſtraturos.* Et Q. l. 4. c. 1. *Plerumque attentum judicem facit, ſi res agi videtur, nova, magna, atrox, pertinens ad exemplum: præcipuè tamen ſi judex aut ſuâ vice, aut Reipub. commoveatur: cujus animus ſpe, metu, admonitione, precibus, vanitate denique, ſi id profuturum credemus, agitandus eſt. Sunt & illa excitandis ad audiendum non inutilia, ſi nos neque diu moraturos, neque extra Cauſam dicturos exiſtiment. Docilem, ſine dubio, & hæc ipſa præſtat Attentio.*

Orat. l. 2. ¶ 82.

Quamvis autem dicat * Orator, *eos apud quos agetur, benevolos benegue exiſtimantes agendo effici melius, quam rogando*; tamen nec ipſe ſolet & Benevolentiæ & Attentionis rogationem loco negligere: ut pro Cluentio. *Dum multorum annorum accuſationi breviter dilucideque reſpondeo; quæſo ut me, judices, ſicuti facere inſtituiſtis, benignè attentèque audiatis.* Et pro Quinctio. *Obſecro te, C. Aquilli, voſque qui adeſtis in concilio, ut diligenter attendatis, ut ſingulare genus fraudis, & novam rationem inſidiarum cognoſcere poſſitis.* Atque in Verrem l. 5. *Hæc dum breviter expono, quæſo, ut feciſtis adhuc, diligenter attendatis.* Idque ex Ariſtotelis præcepto †: ubicunque opus erit, dicendum, *Animadvertite quæſo: nam hæc res non eſt magis mea, quam veſtra*: vel, *Dicam enim vobis novum atque inauditum crimen*: vel *rem admirabilem*, &c.

† Theod. l. 3. c. 14.

(f)(g)(h) Invent. l. 1. ¶ 29. *Exordium in duas partes dividitur: in*

Principium

Principium et Insinuationem. Principium est oratio perspicuè & protinus efficiens auditorem Benevolum & Attentum. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione, & circuitione, obscurè subiens auditoris animum. Insinuatione igitur utendum est, cùm animus auditoris infestus est: id autem tribus ex causis fit maximè: si aut ineſt in ipsa Causa quadam turpitudo; aut si ab ijs qui antè dixerunt, quiddam auditori persuasum videtur; aut illis quos audire oportet defessis jam sint audiendo. His tribus malis quomodo sit medendum, copiosè deinceps docet Orator. Similiter hac de re Q. *Exordium in duas dividunt partes: Principium & Insinuationem: vt sit in Principijs recta Benevolentia & Attentionis postulatio. Quæ quia esse in turpi causa non possit; Insinuatio surrepat animis: maximè vbi frons Causæ non satis honesta videtur, vel quia res sit improba, vel quia hominibus parum probetur; aut si facie quoque ipsa premitur, vel invidiâ consistentis ex adverso patroni, aut patris, vel miserabilis sensis, cæci, infantis. His etiam de causis Insinuatione videtur opus esse: si adversarij actio judicum animos occupaverit, vel si dicendum apud fatigatos est: quorum alterum, promittendo nostras probationes, & adversas eludendo, vitabimus; alterum, & spe brevitatis, & ijs quibus* * *Attentus sit judex. Et vrbanitas opportuna reficit animos; & vndecunque petita judicis voluptas levat tadium.*

* Vide (c) in notis.

Insinuationis exemplum sit illud Cæsaris, apud Salustium pro conjuratis: & Vlyssis Met. 13. pro armis Achillis: atque inprimis illud Ciceronis ad Quirites, 2 de Lege agrariâ.

Præcepta 10 in Exordijs observanda.

1. Exordium non debet esse Commune, quo & adversarius vti potest. Q. l. 4. c. 1.

2. Non Commutabile, quod adversarius in suam vtilitatem deflectere potest. † Q. ibid.

3. Non separatum, quod Causæ non cohæret. † Id autem debet in Proœmio postremum esse, quod commodissimè sequentibus jungatur. * *Connexum ita sit † Principium consequens orationi, vt non tanquam Citharœdi proœmium affictum aliquod; sed cohærens cum omni corpore membrum esse videatur.* * Orat. l. 2. ¶ 82. † Principium non rarò synecdochicè pro Exordio ponitur: sicut etiam Causa pro Quæstione, & Divisio pro Distributione.

4. Non vulgare, quod scilicet pluribus Causis accommodari potest. * *Principia Causarum propria esse debent.* Et paulò pòst, *Omne principium aut rei totius, qua agetur, significationem habere debet, aut aditum ad Causam, & munitionem, aut quoddam ornamentum & dignitatem.*

5. Non Inane, quo nec benevolentia, nec attentio docilem facit. † *Hic illud in vniversum præceptum sit, vt ab ijs quæ ladunt, ad ea quæ prosunt refugiamus. Si Causâ laborabimus, Persona subveniat:* † Q.

veniat: si Personâ, Causa: si nihil, quod nos adjuvet, erit; quæramus quid adversarium ladat. Nam ut optabile est plus favoris mereri; sic proximum, odij minus.

† Q. 6. Non longum, quod vltrà quàm satis est producitur: ne quod præparare debet, fatiget. † *Modus Exordij, pro Causa: nam brevius simplices, longius perplexæ, suspectaque & insames, desiderant.*

* Orat. l. 2. ¶ 82. 7. * Principia dicendi semper accurata, & acuta, & instructa sententiis, & apta verbis, esse debent. *Prima est enim quasi cognitio, & commendatio Orationis in Principio: quæ continuò eum qui audit permulcere atque allicere debet. Malè enim se res habet, quæ non statim ut dici cœpta est, melior fieri videtur.*

† Q. 8. † Ne quod insolens verbum, ne audaciùs translatum, ne aut obsoletum vetustate, aut à poëticâ licentiâ sumpta, in Proœmiis deprehendatur. *Non dum enim recepti sumus, & custodit nos recens audientium intentio: magis, conciliatis animis, hæc libertas feretur.*

* Q. 9. * Frequentissimè Proœmium decebit, & sententiarum, & compositionis, & vocis, & vultus, modestia.

† Q. 10. † Denique, vt quæ sunt in ratione proœmii, faciliùs perficiantur; dicturus intueatur, Quid, Apud quem, Pro quo, Contra quem, Quo tempore, Quo loco, Quo rerum statu, Qua vulgi famâ, dicendum sit, Quid judices sentire credibile sit; antequàm incipiat: tum quid desideret, aut deprecetur: Ipsa illum ratio, quid primùm dicendum sit, edocebit.

C. 3. § 2.

De Narratione.

Narratio. NArratio est pars altera Orationis ascititia, quę dociles facit auditores, (a) occasionem, aut fundamentum Quæstionis, seu præcognita quædam ad Propositionis intelligentiam requisita, enarrando.

Narratio debet esse (b) perspicua, (c) brevis, (d) verisimilis; quò auditor faciliùs intelligat, meminerit, credat, quæ Narrantur.

Ad c. 3. § 2.

(a) *Occasion.* Q. l. 4. c. 2. *Narratio est rerum ad Causam pertinentium expositio.* Res autem ad Causam pertinentes sunt, res gesta, (quæ materiam & fundamentum quæstionis continet) ejusque causa, modus, tempus, locus; persona, & illius intentio, instrumenta, ingenium, opes, potentia, propinqui, amici, comites, &c. Causæ verò ipsius expositio, (quam alteram facit Idem Narrationis speciem)

speciem) cùm nihil aliud sit quàm Propositio; hìc locum non habet. Definit etiam Idem ibidem, *Narratio est res facta, aut non facta, vtilis ad persuadendum expositio.* Quemadmodum & Tullius Invent. l. 1. ¶ 35. *Narratio est rerum gestarum, aut vt gestarum, expositio.* Vbi posterius membrum addi videtur, ne fabularum excludantur Narrationes: quales sunt, quæ ibidem ex Terentio citantur: vt, *Namis postquam excessit ex ephœbis, Solus*, &c. And. act. 1, sc. 1. *& venit ad me sæpe clamitans*, &c. Adelph. Act. 1. sc. 1. Quanquam hujusmodi Narratio, cùm non sit pars Orationis de qua hìc agitur, non videtur huc spectare.

(b) *Perspicua.* Orat. l. 2. ¶. 82. "Apertam Narrationem esse "oportet: & hòc magis in hôc elaborandum est, quòd, & difficilius est "non esse obscurum in re Narranda, quàm aut in Principio, aut in "Argumento, aut in Purgando, aut in Perorando; & majore periculo hæc pars Orationis obscura est, quàm cæteræ: vel quia siquo alio "in loco est dictum quid obscuriùs, tantùm id perit quod ita dictum "est, Narratio obscura totam obscæcat Orationem; vel quòd alia possis, semel si obscuriùs dixeris, dicere alio loco planiùs, Narrationis "vnus est in Causa locus. *Narratio perspicua.*

"Erit autem perspicua Narratio *(inquit* * *Q.)* si fuerit primùm * l. 4. c. 2.
"expositа verbis propriis, vsitatis, significantibus; tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis. *Et* † *Orator*, "Si verbis vsi- † Orat. l. 2.
"tatis, si ordine temporum conservato, si non interruptè narraveris. ¶ 82.
Atque Idem * *alibi fusius*: "Aperta autem Narratio poterit esse, * Invent. l. 1.
"si, verbis dilucidis, vt quodque primùm gestum est, ita primùm ex- ¶ 37.
"ponetur; & rerum ac temporum ordo servabitur. Hìc considerandum erit, nequid perturbatè, nequid contortè, dicatur: nequam "in aliam rem transeatur: ne ab vltimo repetatur: ne ad extremum "prodeatur: nequid, quod ad rem pertineat, prætereatur. Et omnino, "quæ præcepta de brevitate sunt, hôc quoque in genere sunt observanda. Nam sæpe res parum est intellecta, longitudine magis, "quàm obscuritate Narrationis.

(c) Brevis erit Narratio, si nihil dicetur quod non oportet, nec verbis pluribus quàm oportet. Nam non minùs rerum non necessariarum, quàm verborum, multitudine supersedendum est. *Brevis.*

Brevitatis modos sigillatim & summatim exponit Orator: † *Brevis erit*, 1. *si vnde necesse est, inde initium sumetur, & non ab vltimo repetetur*: 2. *si non longiùs, quàm scitu opus est, procedetur*: 3. *si nullam in rem aliam transibitur*: 4. *si non modò id quod obest, verùm etiam id quod nec obest, nec adjuvat, praeteribitur*: 5. *si semel vnumquodque dicetur*. † Invent. l. 1. ¶ 37.

Præceptum hoc Brevitatis irridet Aristoteles. * *Qui brevem esse asserunt Narrationem oportere, ridiculi sunt: veluti qui interroganti Pastori durumne an molle pinsetur, quid (inquit) Est ne impossibile bene pinsere? Oportet enim non esse longam Narrationem, nec Exordium, nec qua fidem faciunt: bene dicere tamen, quod est* * Theod. l. 3. c. 16.

Oratoris proprium, nec in longo, nec in brevi est, sed in mediocri. Verùm hæc illius mediocritas nihil aliud est, quàm aliorum brevitas. *Nos* (inquit Fabius) *brevitatem in hoc ponimus, non vt minus, sed ne plus dicatur, quàm oporteat. Quare et Tautologia, & Perissologia hic præcipuè vitanda sunt. Cavenda tamen erit, qua nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas: satiusque est aliquid Narrationis superesse, quàm deesse. Nam supervacua cum tædio dicuntur; necessaria cum periculo subtrahuntur.*

In nimia autem Narrationis materiâ, vel vrbanitate, vel elegantiâ deleniendus est audientium animus: minùs enim longa, quæ delectant, videntur. *Partitio etiam tædium levat: vt cum Narratio dicitur esse eorum, quæ ante factum, in facto, post factum, acciderunt. Ita tres potiùs modica videbuntur Narrationes, quàm vna longa. Interdum expediet, brevi Interfatione partes distinguere: vt*, Audistis quæ antè acta sunt: accipite nunc quæ insequuntur: *aut aliquo simili.* Sicut pro Ligario fecit Orator: vbi, cùm, post joculare Exordium, multa de Ligarii legatione in Africam, de illius dignitate, de modestia in recusanda provincia, de desiderio domum redeundi, de pacis studio, alijsque de rebus ad Causam pertinentibus, quæ ante pugnam obtigerunt, narrâsset; hìc sistens, hac Interfatione vtitur: *Adhuc, C. Cæsar, Q. Ligarius omni culpâ vacat.* Deinde hæc, quæ ante pugnam gesta sunt, tribus distinguens temporibus, *profectionis, remansionis, & post adventum Vari*; de singulis pauca Narrans, post primum Interfatur, *Profectio certè animum tuum non debet offendere*: post secundum, *Ergo hac duo tempora carent crimine*: post tertium, *Nullum igitur habes, Cæsar, adhuc in Q. Ligario signum alienæ à te voluntatis.* Tandem, post acrem in accusatorem invectivam, crimen ipsum proponit: non, vt initio lusit, *quòd in Africa fuit Ligarius*; sed *quod in Africa tulit arma contra Cæsarem.* Pro responso, tacitè fatetur, elevat, & Cæsaris laudans clementiam veniam precatur.

(d) *Verisimilis.* Verum, cuius veritas non est credibilis, non tam Causæ prodest, quàm falsum verisimile. Ideoque non magis enitendum est, vt vera, quàm vt verisimilia sint, quæ narrantur.

Verisimilis. Verisimilis autem erit Narratio, si personæ ingenium, mores, facultatem, dicta, facta priora, ipsi rei Narratæ convenire; si causam, tempus, locum, occasionem, facto opportuna fuisse ostenderis: si omnia sine repugnantia cohæreant; præsertim si ab audientium affectu aut opinione, vel vulgi famâ non abhorreant. Sicuti docet Orator Invent: l. 1. ¶ 37. *Probabilis erit Narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quæ solent apparere in veritate: si personarum dignitates servabuntur: si causa factorum extabunt: si fuisse facultates faciendi videbuntur: si tempus idoneum: si spacij satis: si locus opportunus ad eandem rem, quæ de re Narrabitur, fuisse*

fuisse ostendetur: si res, & ad eorum qui agent naturam, & ad vulgi rumorem, & ad eorum qui audiunt opinionem, accommodabitur. Et Q. l. 4. c. 2. *Credibilis erit Narratio ante omnia, si priùs consuluerimus nostrum animum, nequid Naturæ dicamus adversum: deinde si causas & rationes factis præposuerimus: si personas convenientes iis quæ facta credi volemus, constituerimus: ut furti reum, cupidum: adulterij, libidinosum: homicidij, temerarium: vel contrà, si defendemus: præterea loca, tempora, & similia.*

Sin adjumenta hæc defuerint; fatebimur vix esse credibile quod dicitur, sed verum: nescire nos quomodo factum sit, aut quare, sed factum esse probaturos: & quantò magis causa & modus scelleris lateant, tantò majus esse habendum scelus. Theod. lib. 3. c. 16. *Si quid minùs credibile narratur; dicere statim Causam, aut polliceri oportet.*

Si adversarius prior Narraverit, necesse, ut quæ essent acta tantùm indicaret, sed adjecit invidiam, rem verbis exasperavit, si de qualitate agetur; (cujus tum demum quæstio est, cùm de re constat) eadem, sed non eodem modo exponemus: alias causas, alias rationes dabimus: verbis elevare quædam licebit: luxuria hilaritatis, avaritia parsimoniæ, negligentia simplicitatis nomine lenietur. Vultu denique, voce, habitu, vel favoris aliquid, vel miserationis, merebimur.

Delectatio etiam, quæ Narrationem † brevem facit, facit & verisimilem. Nam * *judex, nescio quo modo, facilius credit quæ audienti jucunda sunt; & voluptate ad fidem ducitur.*

† Vide suprà.
* Q. l. 4. c. 2.

Postremò fidem affert Narrationi Narrantis authoritas: quam meretur debemus ante omnia quidem vitâ; sed & ipso genere Orationis: quod quò fuerit gravius & sanctius; hoc plus habeat ponderis in auditorum animis necesse est.

¶ *Quod si Narrationi probationes adjunxeris; efficitur hinc non modo verisimilis, sed etiam evidens Narratio: quam quartam quidam faciunt ejus virtutem. Quæ oportet simplex & brevis sit: ut in veneficijs,* Sanus bibit, statim concidit, livor ac tumor confestim est insecutus. *Evidens Nar.*

C. 3. § 3.
De Propositione.

Propositio.

PRopositio est Orationis prima pars insita, (a) Quæstionem, seu Thema discutiendum, proponens; & (b) controversiam constituens. Ideoque debet esse (c) brevis & perspicua.

Propositio est (d) vel simplex & indivisa; vel multiplex

multiplex & in partes diſtributa: quæ inde Partitio dicitur.

Partitio. Partitio vel plures vnâ (e) Quæſtiones, vel plures vnius Quæſtionis (f) partes, proponit: Ea autem debet eſſe, vt (g) brevis, ita etiam (h) abſoluta.

(i) Rectè habita in Cauſa Partitio, memoriam juvat, tædium levat, & totam illuſtrat Orationem.

Ad c. 3. § 3.

(a) *Quæſtionem.* Q. l. 4. c. 4. *Propoſitio eſt Confirmationis initium, quod in oſtendendâ Quæſtione principali ponitur.* Et Heren. l. 2. ¶ 35. *Propoſitio eſt, per quam oſtendimus ſummatim, quid ſit, quod probare volumus.*

πολύσημον eſt, quod nomine vno res plures ſignificat.

(b) Controverſia conſtituitur, ambiguitatem, ſiqua eſt, tollendo; & Nominum, quandò πολύσημα diſtinguimus; & Rerum, quando quid cum adverſario conveniat, quid in controverſia relinquatur, oſtendimus. Orat. l. 2. ¶ 82. Tractatis antè Exordio & Narratione, *Sequitur* (inquit) *vt Cauſa ponatur: in quo videndum eſt, quid in controverſiam veniat.* E. gr. Accuſatur Milo, quòd, Clodio inimiciſſimus, factis inſidijs, in acri multorum vtrinque congreſſu, viâ Appiâ, ante fundum ejus, Clodium contra jus occidit. Cicero Reum defendens, fatetur inimicitias: fatetur factas eſſe inſidias: fatetur dicto loco congreſſum Clodii & ſervorum agreſtium, cum Milone & ſervis ſuis: fatetur etiam Clodium, in illo tumultu, à ſervis Milonis Domini vitam propugnantibus, occiſum eſſe: Porrò Milo ſeipſum (id quod objicitur) cædis authorem facit. De his itaque rebus Reo cum adverſariis convenit. Relinquitur autem, in controverſia, Propoſitio hæc Patrono comprobanda, *Clodius non iniuſtè interfectus eſt.*

Propoſitio brevis & perſpic.

(c) *Brevis & perſpic.* Q. l. 4. c. 5. *Et diviſa & ſimplex Propoſitio, primùm eſſe debet aperta atque lucida; tum brevis nec vllo ſupervacuo onerata verbo.*

(d) T. Invent. l. 1. *Vna pars eſt, ex qua certum quiddam deſignatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum: altera eſt, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, expoſitio ponitur diſtributa: ex qua conficitur, vt certas animo res teneat auditor, quibus dictis, intelligat fore peroratum.*

(e) *Quæſtiones plures.* Sic cum Cicero Verrem accuſaret, *Hæc* (inquit) *prima actionis erit accuſatio: Dicimus C. Verrem cùm multa libidinoſe, multa crudeliter, in cives Romanos atque in ſocios, multa in Deos hominesque nefariè fecerit; tum præterea quadringenties ſeſtertium ex Sicilia contra leges abſtuliſſe.*

(f) *Partes*

(f) *partes plures.* Sic Cicero pro Roscio dicturus, res quæ illi obstabant, in tria genera partitur. *Tres sunt res, quantùm ego existimo, quæ obstant hoc tempore Sex: Roscio: Crimen adversariorum, & Audacia, & Potentia. Criminis confictionem accusator Erucius suscepit: Audacia partes Roscij sibi poposcerunt: Chrysogonus autem, is qui plurimum potest, potentiâ pugnat. De his omnibus rebus me dicere oportere intelligo.*

(g) (h) *Brevis, absoluta.* Brevis sit Partitio, non modò verba supervacua, sed etiam partium multitudinem vitando: oportet tamen sit absolùta: † *ne aut aliquod genus vtile relinquatur, aut serò extra partitionem (id quod vitiosissimum ac turpissimum est) inferatur.* *part. brevis & absoluta.* † Invent. l. 1. ¶ 43.

(i) *Rectè habita.* Q. l. 4. c. 5. *Qua tam manifesta & lucida est ratio, quàm recta Partitionis? Sequitur enim naturam ducem: adeo vt Memoria id maximum sit auxilium, viâ dicendi non decedere.* Et paulò pòst, *Vt non semper necessaria, aut etiam supervacua Partitio est, ita opportunè adhibita, plurimum Orationi lucis & gratiæ confert. Neque enim id solùm efficit, vt clartora sint quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, & in conspectu judicis positis; sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine. Sed nimium multiplex, fugiet memoriam judicum, turbabit intentionem, & eam pariet obscuritatem, contra quam Partitio inventa est.* Qua de re sic etiam Orator. * *Facillimè auditor discit, & quid agatur intelligit; si neque prudentiam eius impedias confusione partium, neque memoriam multitudine.* Non tamen probat Q. eos, qui vltra ternarium numerum Partitionis membra extendere vetant: cùm res possit plura desiderare. * Partit. ¶ 33.

Partitionis ordo in Tractatione perpetuò servandus est. Tul. Invent. l. 1. ¶ 44. *In omni dictione meminisse oportebit, vt, & prima quæque pars, vt exposita est in Partitione, sic ordine transigatur; & omnibus explicatis peroratum sit.* Et Q. d. c. *Turpissimum verò est, non eo ordine exequi, quo quidque proposueris.*

C. 3. § 4.

De Confirmatione.

Confirmatio.

COnfirmatio est secunda Orationis pars insita, (a) Propositionem confirmans. Confirmatur autem Propositio † tribus Doctrinæ partibus: sed potissimùm (b) * Probatione. † C. 2. § 2. (k) * Ibid. (p)

Ad c. 3. § 4.

(a) T. Invent. l. 1. ¶ 45. *Confirmatio est, per quam argumentando nostræ Causæ fidem & firmamentum adiungit oratio.*

(b) *Probatione.* Hæc enim Sententiæ nostræ veritatem demonstrat, non modò † Syllogismo principali, qui Propositionem ipsam concludit; sed etiam * Prosyllogismis, partes principalis Syllogismi approbantibus: quos non, Dialecticorum more, strictim vrgere; sed quovis modo, prout res postulabit, † Amplificare, Oratorium est.

† Vid. (p) in notis ad c. 2. § 2.

* Vid. (f) in notis ad d: §.

† Vid. in d: §.

(r) &c.

Cap. 3. §. 5.

De Confutatione.

Confutatio. Confutatio est tertia Orationis pars insita, (a) Argumentationes partis adversæ (b) confutans. Confutatur autem Argumentatio, (c) vel quòd Materiâ, vel quòd Formâ peccet. (d) Formâ peccat, cùm ex parte Antecedente verâ, non necessariò concluditur pars Consequens: (e) Materiâ, quando Antecedentis pars altera, vel vtraque est falsa.

Ad c. 3. §. 5.

(a) *Argumentationes partis adv:* Quibus nempe adversarius vel Propositionem suam Confirmat; vel Confirmationem nostram Confutat: est enim tam Confutationis, quàm Confirmationis, Confutatio. Confutatio verò Propositionis adversæ nihil aliud est, quàm Confirmatio nostræ. Exempli gratiâ: Propositio * Labieni est, *Saturninus non est jure occisus:* Ciceronis, *Saturninus est jure occisus.* Hìc, sive Cicero Propositionem suam confirmet, sive Labieni confutet, eòdem res recidit.

* Pro Rabirio.

(b) *Confutans.* Invent. l. 1. ¶ 61. *Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum Confirmatio diluitur, aut infirmatur.*

(c) *Vel quòd.* Invent. l. 1. ¶ 63. *Omnis Argumentatio Reprehenditur, si 1. aut ex ijs, quæ sumpta sunt, non conceditur aliquid vnum, plurave; 2. aut his concessis, Complexio confici ex his negatur, & genus ipsum Argumentationis vitiosum esse dicitur.* Addit hìc Orator, *aut si contra firmam argumentationem, alia æquè firma, aut firmior ponatur.* Sed hæc non tam videtur Argumentationis adversarij Confutatio; quàm vel Propositionis, vel Confirmationis nostræ, Confirmatio.

Formâ peccans argumentando. (d) *Formâ peccat.* Nempe cùm ad nullum Logici syllogismi modum Argumentatio reduci potest. Eloquentiæ itaque studiosis, omnes Syllo-

Syllogismi tum simplicis, tum compositi formæ in promptu sint: quas vbi percalluerint, spinosa illa Elenchorum doctrina, non adeo videbitur necessaria. Rectum enim est index sui & obliqui. Quum autem Syllogismi partes, partim omitti, partim fusiùs tractari, partim confusè collocari in Oratione soleant; explenda primùm quæ desunt, amputanda quæ supersunt, & pars quælibet in locum redigenda est; vt in nuda formâ sophisma appareat. Neque tamen Orator, cùm fallaciam, hôc pacto deprehenderit, ad Logicas eam Syllogismi leges, expressè & pressè nimis exigat; sed ampliori & ornatâ Ratiocinandi ratione, hicillic notum faciat, ex tali argumentatione, Complexionem, quam probari vult, malè inferri.

(c) *Materiâ.* Argumentationis Materia ipsa sunt Axiomata: quæ, si falsa sunt, neganda primùm, deinde argumentis infirmanda erunt: docendum quòd absurda sunt, incredibilia, nugatoria, secum pugnantia: aliquid allegatis callidè addi, detrahi, & immutari: si rectè res perpendatur, non contra nos, sed pro nobis facere. Atque hæc Expostulatione, Irrisione, Increpatione, instanti Interrogatione, exaggeranda sunt. Argumentum firmissimum acerrimè impugnandum: quo expugnato, cætera suâ sponte concidant. *Materiâ pero. arg.*

Sin manifesta sunt quæ vrgentur, vt negari non possint; vel silentio erunt prætereunda, vel, tanquam levicula, contemnenda, vel joco aliquo vrbano eludenda. Si argumentorum tela, nimiùm validè contorta, nolunt hac arte retundi; adorienda Complexio est: & aut dicendum parergon esse quod concluditur, nec ad rem controversam pertinere; aut in alios, quod convincitur, crimen erit transferendum. Quòd si ne his quidem diverticulis instantis adversarij impetum devitare poteris, vt cedere necesse sit; vltimum hoc restat refugium, veritatem verecundè agnoscere, imprudentiam, infirmitatem, infortunium, illecebras, necessitatem causari; & misericordiam demum supplicitèr implorare: vti fecit Orator pro Ligario.

¶ Confutationis opus difficilius est, quàm Confirmationis; quia præcipuè versatur in defendendo. † *Tanto enim est accusare, quàm defendere; quanto est facere, quàm sanare vulnera, facilius.* † Q. l. 3. c. 13.

C. 3. §. 6.

De Peroratione.

PEroratio est tertia Orationis pars ascititia, quæ, auditores* firmans, Orationem (a) concludit. Ea debet esse (b) fervida, vt judicem incendat; (c) brevis, *Ἐπίλογος. Peroratio.* * Vide §. 1.

ne inflammatus refrigeſcat; & (d) varia, vt artificij ſuſpicio vitetur, & ſatietas.

Perorationis (e) duæ ſunt partes, (f) Enumeratio, & Pathopœia ſive (g) Amplificatio.

Ἀνακεφαλαίωσις. Enumeratio.

Enumeratio firmat auditores (h) potiſſima Tractationis capita (i) ſummatim & (k) ordine repetendo.

Παθοποιία. Amplificatio.

Pathopœia auditores firmat, (l) animos eorum vel erga nos, vel adverſus adverſarium, incitando: quod per † Exaggerationem & Extenuationem maximè fit.

† Vid. c.2.§ 2. (h) & (i) in fine.

Indignatio.

Pathopœia eſt (m) Indignatio aut Conqueſtio.

(n) Indignatio eſt, quæ animum auditoris in adverſarium, (o) peccata Exaggerando, & virtutes Extenuando, affectibus (p) ab Ira ortis incendit.

Conqueſtio.

(q) Conqueſtio eſt, quæ auditoris animum erga nos, (r) calamitates atque virtutes Exaggerando, & (ſ) peccata Extenuando, affectibus (t) ab amore ortis afficit.

Ad c.3.§ 6.

(a) *Concludit.* Invent.l.1.c.76. *Concluſio eſt exitus & determinatio totius Orationis.* Et Q.l.6. c.1. *Ipſa Epilogi & Perorationis nomina apertè ſatis oſtendunt, hanc eſſe conſummationem Orationis.*

Fervida.

(b) *Fervida.* Q.l.6.c.1. *Hæc, ſi vſquam, totos Eloquentiæ aperire fontes licet. Nam ex his (ſi bene dixerimus reliqua) poſſidemus jam judicum animos: & confragoſis atque aſperis evecti, tota pandere poſſumus vela. Et, cum maxima pars Epilogi ſit Amplificatio,* [ſeu * Pathopœia;] *verbis atque ſententijs vti licet magnificis, atque ornatis: tunc eſt commovendum theatrum, cum ventum eſt ad ipſum illud, quo veteres tragœdia comœdiaque clauduntur,* Plaudite. *Ideoque tum in alijs, tum maximè in hac parte, debet creſcere Oratio: quia quicquid non adjicit prioribus, etiam detrahere videtur: & facile deficit affectus, qui deſcendit.* Atque Idem, de prima parte, *Quæ enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda ſunt; & aptis excitanda ſententijs, & figuris utique varianda: alioquin nihil eſt odioſius rectâ illâ repetitione, velut Memoria judicum deſidentis.*

* Vid. (g) in notis.

Brevis.

(c) *Brevis.* Q. d. c. *Nam ſi moraburis, non jam Enumeratio, ſed altera quaſi fiet Oratio.* Et mox, *Nunquam debet eſſe longa Miſeratio:*

Miseratio: nec sine causa dictum est, Nihil facilius, quàm lachrymas inarescere. Nam cùm veros dolores mitiget tempus; citiùs evanescat necesse est illa, quam dicendo finximus, imago.

(d) *Varia.* Invent. lib. 1. ¶ 78. *Hæc si semper eodem modo tractabitur; perspicuè ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur: sin variè fiet; & hanc suspicionem, & satietatem vitare poterit.* Varia.

Quæ supra de singulis [Enumeratione, indignatione, Conquestione] dicuntur; de omnibus, indifferenter, vera censenda sunt.

(e) *Duæ sunt partes.* Partit: ¶ 45. *Peroratio est divisa in duas partes; Enumerationem, & Amplificationem:* [1. Pathopœiam] Sed Invent. libro 1. ¶ 77. duæ Pathopœiæ species (genere ipso omisso) Enumerationi annumerantur: atque ita tres fiunt Perorationis partes. *Peroratio habet partes tres; Enumerationem, Indignationem, Conquestionem.*

(f) *Enumeratio.* Q. l. 6. c. 1. De hac prima parte, *Id*, inquit, *vnicum Epilogi genus visum est pleriſque Atticorum, & Philosophis ferè omnibus, qui de Arte Oratoria scriptum aliquid reliquerunt. Id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus movere etiam per præconem prohibebatur Orator.* Ratio est quam reddit Aristoteles Theod. lib. 3. c. 14. *Non oportet ignorare extra rationem hæc esse omnia: ad pravum enim dicuntur auditorem, qui qua sunt extra rem libenter audit.* Et postea, *Qui malam Causam habent, his vbivis melius est versari, quàm in ipsa re.* Atq; hinc est quod * Orator *Conciliationem* & *Concitationem* (quæ, etsi nihil docent argumentando, commovendo tamen proficiunt plurimùm) occultare & dissimulare præcipit, ac vnicum illud *Decere*, præ nobis esse ferendum. vide (k), in notis ad c. 2. § 1. * l. 2. ¶ 82.

(g) *Amplific.* Amplificatio Rhetoribus nomen est πολυσημον. Ponitur enim interdum pro Exaggeratione: (vid. (h) in cap. 2. § 2.) interdum significat, & magis propriè, tertiam Doctrinæ partem, quæ in Dilatationem & Digressionem dividitur: (vid. (i) ibidem) interdum etiam, vt hìc, Perorationis partem secundam, quæ in Indignationem & Conquestionem distribuitur. Sed, ne vocis ambiguitas rerum partiat confusionem; res has naturâ distinctas, distinctis vbique & propriis vocabulis convenit denotari. Itaque hìc malim, cum † Iulio Rufiniano, & * Emporio Rhetore, Pathopœian dicere.

† *Pathopœia est qua vel odio, vel iracundiâ, vel misericordiâ commovetur.*

(h) (i) *Potissima, summatim.* Alex. c. vlt. *Ex conclusione verò eorum, quæ dicta fuerint, reminisci auditores faciemus; si, quæ acta sunt, summatim rursum dicemus.* Q. l. 6. c. 1. *In hac, qua repetemus, quàm brevissimè dicenda sunt: & quod Græco verbo patet, decurrendum per capita:* (hoc est Aristoteli * κεφαλαιωδῶς ἰέναι) *nam si morabimur; non jam Enumeratio, sed altera quasi fiet Oratio.* Et Invent. libr. 1. ¶ 78. *Commune autem præceptum hoc datur ad Enumerationem, vt ex vnaquaque Argumentatione, quoniam ipsa rerum dici*

* *Cùm incurrens prævalebit affectus, tunc vocabitur Pathopœia.* Theod. l. 3. c. 19.

dici non poteſt, id eligatur quod erit graviſſimum: & unumquodque quàm breviſſimè tranſeatur, ut memoria, non Oratio veno vata videatur. Et Partit. ¶ 45. *Sed erit in Enumeratione vitandum, ne oſtentatio memoriæ ſuſcepta, videatur eſſe puerilis: id effugiet, qui non omnia minima repetet, ſed breviter ſingula attingens, ponderа rerum ipſa comprehendet.*

† Vid. ☞ in c. 3. §. 3.

(k) *Ordine repet.* Vt † Partitionis ordo in Tractatione, ita Tractationis in Peroratione, ſervandus eſt. Heren. l. 2. ¶ 46. *Imtiũ Enumerationis ſumendum eſt à Diviſione: deinde ordine breviter exponenda ſunt res, quæ tractata erant in Confirmatione & Confutatione.* Invent. l. 1. ¶ 78. *Quare oportebit, tum (quod plerique faciunt propter facilitatem) ſigillatim unamquamque rem attingere, & ita omnes tranſire breviter Argumentationes; tum (id quod difficilius eſt) dicere quas Partes expoſueris in Partitione, de quibus te pollicitus ſis dicturum, & reducere in memoriam quibus rationibus unamquamque partem confirmaris: atque tum tuas Argumentationes tranſire ſeparatim; tum (id quod artificioſius eſt) cum tuis contrarias conjungere: & cùm tuam argumentationem dixeris, tum, contra eam quod afferebatur, quemadmodum dilueris, oſtendere. Ita, per brevem comparationem, auditoris memoria, & de Confirmatione, & de Reprehenſione, redintegrabitur.* v. Theod. l. 3. c. 19. Itaque Invent. l. 1. ¶ 78 ſic definit Orator: *Enumeratio eſt, per quam res diſperſè & diffuſè dictæ, unum in locum cogũtur; & reminiſcendi cauſâ, unum ſub aſpectum ſubjiciuntur.* Et ad Heren: lib. 2. ¶ 46. *Enumeratio eſt, per quam colligimus, & commonemus, quibus de rebus verba fecerimus: breviter, ut veno vetur, non redintegretur, Oratio.* Vnde Quintilianus lib. 6. c. 1. *Enumeratio & memoriam judicis reficit, & totam ſimul Cauſam ponit ante oculos.*

Pathopœia. ² vid. (g)

(l) *Animos vel erga.* Heren. l. 3. ¶ 29. *Amplificatio* [i. * Pathopœia] *eſt oratio, qua aut ad iracundiam induxit, aut ad miſericordiam trahit auditoris animum.* Et in fine Top. *Peroratio & alia quædam habet, & maximè Amplificationem; cujus effectus ii debet eſſe, ut aut perturbentur animi, aut tranquillentur: & ſi ita jam affecti ſunt, ut augeat eorum motus, aut ſedet oratio.*

☞

† Partit. ¶ 45. * Quæ appellat Q. Congeriem verbotũ, & ſententt. † Incrementum Q. l. 6. c. 1. * Orat. Perf. ¶ 26.

Hic multũ juvãt vehemẽtes cohortationes, monitiones, objurgationes, deprecationes, promiſſiones, invocationes, obteſtationes, alieq; patheticę locutiones: quę † verbis gravibus, plenis, ſonantibus, ſuperlatis, ſine Conjunctione * duplicatis, & † gradatim ab humilioribus ad ſuperiora aſcendentibus; Actionem vocis, vultus, & geſtus, congruentem, & aptam ad animos permovendos habent. In quibus ita ſingularis artifex evaſit Orator, ut ipſe de ſe dicat, * *Etiamſi plures dicebamus; Peroorationem tamen mihi omnes relinquebant. In quo ut viderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſecutus ſum. Qua qualiacunque in me ſunt, apparet in Orationibus: efficarent libri ſpiritu illo, propter quem majora eadem illa, cùm dicuntur, quàm cùm leguntur, videri ſolent.*

(m) *Indign. aut Conqueſt.* Heren. l. 3. ¶ 32. *Amplificatio dividitur in Cohortationem & Conqueſtionem.* Vbi cur Cohortationis nomen

men Author pro Indignatione vſurpat, hercle non video. Si quòd Cohortationem illa fere contineat; continet etiam non minùs Conqueſtio: vt hinc iſtud æquè vtrique vocabulum conveniat. Rectiùs itaque Orator proprium Indignationis nomen vbique retinet: vt Invent. l 2. ¶ 9.

(n) *Indignatio eſt.* Heren l. 3. ¶ 22. *Cohortatio* [i. Indignatio] *eſt, qua, aliquod peccatum amplificans, auditorem ad Iracundiam adducit.* Et Invent. l. 1. ¶ 79. *Indignatio eſt Oratio, per quam conficitur, vt in aliquem hominem odium magnum, aut in rem gravis offenſio concitetur.* *Indignatio.*

(o) *Peccata Exagg.* Multa ſunt, ex quibus peccata Exaggerat Indignatio: vt, 1. voluntas, 2. modus, 3. tempus, 4. locus, 5. gradus, 6. indignitas, 7. eventus, 8. hyperbole, 9. hypotypoſis, 10. viſibile maleficij indicium, 11. ſympathia.

1. Ex voluntate, cùm non errore aut caſu; ſed conſultò & de induſtria factum eſſe demonſtratur: et ſi plus videri poteſt voluiſſe, quàm fecit: & illud adjungitur, Imprudentiæ concedi nonnunquam convenire; voluntario maleficio veniam dari non oportere. *Voluntas.*

2. Ex modo, ſi cum injuriâ contumelia juncta demonſtratur: (quomodo in ſuperbiam & arrogantiam odium concitatur:) ſi per vim, per manum opulentam; quæ res ab legibus, ab æquabile jure remotiſſima eſt: ſi ferro, aut igne, aut veneno; ſi vno vulnere, aut pluribus; ſubitò an paulatim cum torturâ, malum perficiatur. *Modus.*

3. Ex tempore, ſi die fortè ſolenni, aut in tempore divini cultus; ſi cum judicia de maleficijs exercentur; aut in ſolicito civitatis ſtatu. *Tempus.*

4. Ex loco, ſi in templo, in curia, in ſuis ædibus, in via, in concione, aut cœtu quovis publico. *Locus.*

5. Ex gradu, quando malum de quo quæritur, malo noto & certo comparatum, majus & pejus malum videtur: ſic cùm nobis illud, aut primis aut ſolis obtigiſſe oſtenditur. *Gradus.*

6. Ex indignitate, cùm aliquid in eos, in quos minimè oportuerit, factum indignamur: vt in parentes, in liberos, conjuges, conſanguineos, ſupplices; in majores natu, in hoſpites, in vicinos, in amicos, in eos quibuſcum vitam egeris, in eos apud quos educatus ſis, in eos à quibus eruditus; in mortuos, in miſeros, in miſericordiâ dignos; in homines claros, nobiles, & honore vſos; in eos qui neque lædere alium, neque ſe defendere potuerint, vt in pueros, ſenes, mulieres: quibus omnibus, acriter excitata Indignatio, ſummum in eos, qui violârint hotum aliquid, odium commovere poterit. Item in ſuperiores, quorum ex authoritate Indignatio ſumitur: vt ſunt divi, reges, gentes, civitates, magiſtratus, homines ſapientiſſimi. *Indignitas.*

7. Ex eventu, ſi dicimus multos avidè expectare quid ſtatuatur, vt hinc quid ſibi liceat, intelligant; & huic ſi conceſſum ſit, multos æmulos ejuſdem audaciæ futuros; (ex quo quid mali ſit eventurum demonſtrabimus) & ſimul oſtendimus invidiæ non parum in ipſos judices redunda- *Eventus.*

dunditurum: præſertim ſi res palàm ſit, vt celari non poſſit. Vnde
† Q. l. 6. c. 1. Calvus † in Vatinium judices ſcitè vellicat: *Factum auditum ſcitis omnes: et hoc vos ſcire omnes ſciunt.*

Hyperbole. 8. Per Hyperbolen Indignamur, cùm verbis Hyperbolicis factum notamus: vt cùm facinus tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum, dicimus: neque ab audaciſſimis, aut feris hominibus, à barbaris gentibus, aut immanibus beſtijs, factitatum. Verr. l. 4. *Verſo nunc adoleſcentis, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium: vt amici ejus morbum & inſaniã: vt Siculi, latrocinium: ego, quo nomine appellem neſcio.* Vbi, quòd nomen ſe neſcire dicat, ſignificat crimen eſſe inauditum, & eorum, quæ nomina habent, maximo majus. Item in Verr. l. 1. *Quis eſt in populo Romano, qui non hoc ex priori actione abſtulerit, omnium antè damnatorum ſcelera furta, flagitia, ſi in vnum locum conferantur, vix cum hujus partã partã aquari conferrique poſſe?* Et Verr. vltima. *Expectate facinus, quàm vultus, improbum: vnicam tamen expectationem omnium.* Sed potentior eſt Hyperbole, quæ Apoſtrophen & Proſopopeiam conjunctam habet: cùm ad res inanimas orationem noſtram convertimus; aut eas oratione noſtrâ loquentes fingimus.

Hypotypoſis. 9. Per Hypotypoſin, cùm factum, de quo agitur, ita particulatim, & ordine exprimitur, vt coràm jam fieri videatur. Invent: l. 1. ¶ 79. *quando omnia, quæ in negotio gerendo acta ſunt, quæque poſt negotium cõſecuta ſunt, cũ vniuſcujuſq; indignatione, & criminatione colligimus; & rem verbis quàm maximè ante oculos ejus, apud quem dicitur, ponimus; vt id quod malum eſt, perinde illi videatur malũ, ac ſi ipſe interfuerit, ac præſens viderit.* Vide Rhet. l. c. 34.

Indicium. 10. Viſibile aliquod maleficij indicium illud aggravat, & indignationem auget: vt * *Cruentus gladius, lecta è vulneribus oſſa, vndati corporis livores & vulnera, & veſtes ſanguine perfuſa.* † *Populum R. egit in furorem prætexta C. Cæſaris prolata in foro cruenta,* &c. *Sciebatur interfectum eum: veſtis tamen illa ſanguine madens, ſtatua repræſentata vt imago ſceleris; vt non occiſus eſſe Cæſar, ſed tum maximè occidi videretur.*
* Q. c. d.
† Q. ex Suet.

Sympathia. 11. Per ſympathiam creſcit Indignatio, cùm petimus ab ijs qui audiunt, vt ad ſe ſuoſque noſtras injurias referant: ſi ad pueros pertinebunt, de liberis ſuis cogitent: ſi ad mulieres, de vxoribus: ſi ad ſenes, de parentibus. Item cùm oſtendimus, injurias quas patimur, tam graves eſſe, vt vel inimicos noſtrî miſereat.

(p) *Ab ira ortus.* Quales ſunt, Odium, Contemptus, Invidia, Indignatio vide c. 2. §. 2. (e) in notis.

Conqueſtio. (q) Heren. l. 3. ¶ 32. *Conqueſtio eſt oratio, qua, incommodorum amplificatione, animum auditoris ad Miſericordiam perducit.* Et Invent. l. 1. ¶ 80. *Conqueſtio eſt oratio, auditorum miſericordiam captans.*

(r) *Calamitates.* Quibus calamitates, & incommoda Conqueſtio exaggerat, ſunt 1. bonorum omiſſio & malorum perpeſſio, 2. genera malorum, 3. cujuſq; mali deploratio, 4. Indignitas, 5. Apoſtrophe, 6 hypotypoſis,

potyposis, 7. visibile virtutis & miseriæ indicium, 8. sympathia.

1. * Quando quibus in bonis quis fuerit, & nunc quibus in malis sit, ostenditur: & cùm aliquid boni expectaret, non modò id non adeptum esse; sed in summas miserias incidisse. *Amissio bonorum & perpess.* * Invent. l. 1. ¶ vlt.

2. *Genera mal.* vt inopia, infirmitas, solitudo, exilium, vincula, verbera, aut nostra, aut eorum qui nobis chari sunt: quæ mala per Tempora distinguuntur; cùm quibus in malis & fuerint, & sint, & futuri sint, demonstratur. *Malorum genera.*

3. Vt cùm deploratur disjunctio ab eo, quîcum libenter vixeris; [vt à parente, à filio, fratre, familiari;] aut cùm mors filii deploratur, & ostenditur delectatio pueritiæ, amor, spes, solatium, educatio: & si qua simili in genere, quolibet de incommodo, per Conquestionem dici poterunt. *Deploratio.*

4. *Indignitas.* Cùm res turpes, & humiles, & illiberales proferentur, [indignæ ætate, genere, fortunâ pristino honore, beneficiis.] quas passi perpessurive sint; aut cùm aliquid dicitur esse factum, quod non oportuerit, aut non factum quod oportuerit; [vt cùm quis queritur quempiam sibi charum inimicorum in manibus mortuum esse, hostili in terra turpiter jacuisse insepultum, à feris diu vexatum, communi quoque honore in morte caruisse; & sibi non adesse, non videre, non postremam ejus vocem audire, non extremum ejus spiritum excipere, licuisse;] aut quando cum Indignatione conquerimur, quòd ab ijs, à quibus minimè oportet, malè tractemur; [propinquis, amicis, quibus benefecerimus, quos adjutores fore putaverimus;] aut à quibus indignum est, [vt, servis, liberis, clientibus, supplicibus.] *Indignitas.*

5. *Apostrophe.* Quando sermo ad mutas & expertes animi res accommodatur: vnde animus eorum qui audiunt, & aliquem dilexerunt, vehementer commovetur, *Apostrophe.*

6. *Hypotyposis.* Cùm omnia ante oculos sigillatim incommoda ponuntur, vt videatur is, qui audit, videre; & re quoque (quasi adsit) non verbis solùm, ad misericordiam ducatur. Vide Rhet. l. 1 c. 24. *Hypotyposis.*

7. Visibile *Virtutis* aut *Miseriæ* indicium præsentium animis crimen elevat, & miserationem valde movet. *Indicium.*

Miseria Q. l. 6. c. 1. *Non solùm autem dicendo, sed etiam faciendo quædam, lachrymas movemus: vnde & producere qui periclitantur, squalidos atque deformes; & liberos eorum ac parentes institutum.*

Virtutis verò indicium quantum momenti afferat, indicat M. Antonius: † *qui, vt erat in dicendo non solùm sapiens sed etiam fortis, causâ prope peroratâ, ipse arripuit M. Aquillium, constituitque in conspectu omnium, tunicamque eius à pectore abscidit, vt cicatrices populus R: judicesque adspicerent, adverso corpore exceptas: eoq; adduxit eos, qui erant judicaturi, vehementer vt vererentur, ne quem virum Fortuna ex hostium telis eripuisset, cùm sibi ipsi non pepercisset,* † *Verr. vlt.*

hic non ad populi R: laudem, sed ad judicum crudelitatem videretur esse servatus.

Sympathia. 8. *Sympathia.* Cùm ad ipsos, qui audiunt, similem casum convertimus: & petimus vt de suis liberis, aut parentibus, aut aliquo qui illis charus debeat esse, nos cùm videant, recordentur: Aut cùm orantur modò illi qui audiunt, humili & supplici oratione, vt misereantur.

(s) *Peccata Exten.* Quibus peccata Conquestio extenuat, sunt 1. voluntas, 2. infirmitas humana, 3. fortunæ vis in omnes, 4. humilitas & obsecratio, 5. Misericordia & virtus Conquerentis.

Voluntas. 1. *Voluntas* extenuat, cùm Reus non deditâ operâ sed vel inscius, vel invitus peccâsse dicitur.

Infirmitas. Fortuna. 2. 3. *Infirmitas & Fortuna.* Animus auditoris faciliùs Conquestione commovetur, cùm fortunæ vis in omnes, & hominum infirmitas ostenditur: qua oratione habitâ graviter & sententiosè, maximè demittitur animus hominum, & ad misericordiam comparatur, cùm in alieno malo suam infirmitatem considerabit,

Humilitas. 4. *Humilitas & obsecratio.* Q. l. 6. c. 1. " Sordes & squalores, & " propinquorum quoque similem habitum scio profuisse, & magnum " ad salutem momentum preces attulisse. Quare & obsecratio illa " judicum per charissima pignora, vtiq; si & Reo sint liberi, conjux, pa- " rentes, vtilis erit. Stratum denique jacere, & genua comple- " cti: nisi tamen persona nos, & ante-acta vita, & Rei condi- " tio prohibebit. Quædam enim tam fortiter tuenda, quàm facta " sunt. Verùm sic est habenda authoritatis ratio, ne sit invisa " securitas: quæ res Miloni non profuit. *Vide Plutarch. in Cicerone.*

Misericordia. * Q. d. c. † Invent. l. 1. § 80. * Q. d. c. 5. *Misericordia & Virtus.* Rei in alios misericordia & bonitas peccatum elevat. * " Iustè enim petere ea quisque videtur à judice, quæ " alij ipse fecerit. † Et sæpe virtus, & magnificentia, in qua gravitas " & authoritas est, plùs proficit ad misericordiam commovendam, " quàm humilitas & obsecratio: * periclitantem etiam commendat di- " gnitas, & studia fortia, & susceptæ bello cicatrices, & merita ma- " jorum.

(t) *ab amore.* Quales sunt mansuetudo, admiratio, gratia, commiseratio. Vide (e) in c. 2. § 2.

Lachryma valent. † Q. d. c. ☞ * Orat. Perf. ¶ 26. " † Plurimùm valet miseratio, quæ judicem non tantùm flecti cogit, " sed motum quoque animi sui lachrymis confiteri. *Qua in re mirum* " *extitit Oratoris artificium:* * Miseratione (*inquit*) ita dolenter vti " solemus, vt in quadam Causa perorantes, excitato Reo nobili, sub- " lato etiam filio parvo, plangore & lamentatione compleremus fo- " rum. *Sed huiusmodi miseratio brevis esse debet.* † Commotis ani- " mis diutiùs in Conquestione morari non oportebit. Quemadmo- " dum enim dixit Rhetor Apollonius, *Lachrymâ nihil citius arescit.*

Brevis. † Invent. l. 1. in fine.

Et

" *Et Q.* Nunquam debet esse longa miseratio. nam cùm veros dolores " mitiget tempus; citiùs evanescat necesse est illa, quam dicendo finxi- " mus imago: in qua si moramur, lachrymis fatigatus auditor requie- " scit, & ab illo, quem ceperat, impetu, ad rationem redit.

" * Illud hic præcipue monendum, ne quis, nisi summis ingenij vi- " ribus, ad movendas lachrymas aggredi audeat. Nam vt est longè ve- " hementissimus hic, cùm invaluit, affectus; ita, si nihil efficit, tepet: " nam & vultus, & vox, & ipsa illa excitati Rei facies, ludibrio etiam " plerùnque sunt hominibus, quos non permoverunt. Nihil habet ista " res medium: sed aut lachrymas meretur, aut risum.

Non cuiusque. ☞ * Q.

¶ 1. † *Enumeratio accusatori patronoque æquè communis est: affectibus quoque ijsdem fere vtuntur.* Quamvis enim Indignatio propriè in Accusatione, vt Conquestio in Defensione versetur; *habet tamen interdum Accusator lachrymas ex miseratione eius Rei quem vexisset; & Reus de indignitate calumniæ conspirationis vehementius interdum queritur.* (Sicut Partit. ¶ 45. " Accusatori fere quæ ad i- " racundiam, Reo plerúnque quæ ad misericordiam pertinent. Non- " nunquam tamen Accusator misericordiam movere debet; & defen- " sor iracundiam.) Est igitur vtrisque commune conciliare sibi, aver- " tere ab adversario, judicem; concitare affectus & componere. Et " brevissimum quidem hoc præceptum dari vtrique parti potest, vt to- " tas Causæ suæ vires Orator ante oculos ponat: & cùm viderit quid " invidiosum, favorabile, invisum, miserabile, aut sit in rebus, " aut videri possit; ea dicat, quibus, si judex esset ipse, maximè mo- " veretur.

† Q. l. 6. c. 1.

Perorationis partes dicentibus communes.

2. Indignationis hæc & Conquestionis præcepta, exemplis illu- strant accusationum & defensionum Epilogi.* " Nec verò miseratio- " ne solùm mens judicum permovenda est; sed etiam est faciendum vt " irascatur judex, vt mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, " oderit, diligat, cupiat, satietate afficiatur, speret, metuat, lætetur, dole- " at: qua in varietate, duriorum accusatio suppeditabit exempla, mitio- " rum defensiones meæ. Nullo enim modo animus audientis aut in- " citari, aut leniri potest, qui modus à me non tentatus sit. &c.

* Orat. Perf. ¶ 26.

Accusationis Epilogum singularem vide Verrina 7: *Si hæc non ad eives Romanos* &c. Defensionis pro Murænâ: *Quæ cùm ita sint, Judices,* &c. Vbi Murænæ merita & mali indignitatem mirificè exaggerans, judicum animos ad Misericordiam inflectit.

Conjunctum partium omnium Exemplum.

Sex partium exempla.

EXpositis jam sex Orationis partibus, si conjunctum earum omni- um, ordine proprio dispositarum, exemplum desideres; sit illud pro lege Manilia. In quo primum locum obtinet Exordium, benevo- lentiam & attentionem captans à persona 1. dicentis, 2. populi audien- tis, 3. Rei Pompeij.

Exordium.

1. A perſona dicentis, primò, propter modeſtiam & verecundiam, quòd foro contentus, Roſtra [locum illum ad agendum ampliſſimum, ad dicendum ornatiſſimum] (quò nihil niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtriâ, afferri oportet) hactenus non audebat contingere ; & propter ſyncéritatem, quòd interim in privatorum periculis caſtè integrèque laboraverit : deinde propter gratitudinem, quòd authoritatem, quam populi R: beneficio accepit, & dicendi facultatem, quam quotidiana in foro exercitatio attulit, ad populi Cauſas defendendas poſthac adhibiturum ſe pollicetur.

2. A perſona populi, cujus benignitatem & beneficentiam agnoſcit, quòd ejus judicio ter Prætor primus renunciatus ſit.

3. A perſona Pompeij, cujus virtutem ſingularem præ cæteris omnibus effert. Exordium his verbis continetur, *Quanquam mihi ſemper* ——— *quærendus eſt.*

Narratio. Subjungitur Narratio, occaſionem & fundamentum quæſtionis (*vnde ſc: hæc omnis Cauſa ducitur*) exponens: hoc eſt, 1. bellum cum Mithridate & Tygrane grave & periculoſum eſſe, 2. Bithyniæ vicos exuſtos eſſe complures, 3. regnum Ariobarzanis totum eſſe in hoſtium poteſtate, 4. Lucullum ab eo bello diſcedere, 5. huic quiſcceſſit, non ſatis eſſe paratum ad tantum bellum adminiſtrandum, 6. vnum ab omnibus ad id bellum Imperatorem depoſci, 7. eundem hunc vnum ab hoſtibus metui, præterea neminem.

Propoſitio triplex. Inſequitur tertio loco Partitio, ſeu triplex Propoſitio: 1. de genere belli, 2. de magnitudine, 3. de Imperatore deligendo.

Prop. 1. Partitionis prima pars eſt, *Genus belli eſt ejuſmodi, quod maximè veſtros animos inflammare debet.*

Confirmatio partis 1. Hujus Propoſitionis Confirmatio quatuor conſtat probationibus: In hoc agitur 1. Populi R: gloria, 2. ſalus ſociorum, 3. maxima populi R: veſtigalia, 4. bona multorum civium. Quæ ſingulæ in ſyllogiſmos principales formatæ, ſuis porro corroborantur Proſyllogiſmis. Probatio prima eſt his verbis : *Sed pro veſtri imperij dignitate atque gloria* ——— *conſervare non poſſe.* Secunda ſequitur, *Quicquid ſalus ſociorum* ——— *ſociorum ſalutem.* Tertia & quarta conjunguntur, *Præſertim cum de veſtris maximis veſtigalibus* ——— *plurimorum civium cum Re-pub. defenduntur.*

Propoſitio 2. Propoſitio ſecunda eſt, *Bellum Aſiaticum ita magnum eſt, vt ſit pertimeſcendum.* Ad quam ſic Tranſitur: *Quoniam de genere belli dixi; Nunc de magnitudine pauca dicam: Poteſt enim hoc dici, Belli genus eſſe ita neceſſarium, vt ſit gerendum; non eſſe ita magnum, vt ſit pertimeſcendum.* Propoſitio hæc principalis ſyllogiſmo hic Confirmatur, cujus

*Confirmatio partis 2.

*1. Antecedentis pars prima. *Propoſitio quatuor conſtat partibus:

partibus: *Magnum illud bellum futurum putetis, quod* 1. *conjungunt reges potentissimi*, 2 *renovent agitata nationes*, 3. *suscipiant integra gentes*. 4. *novus Imperator vester accipiat, vetere expulso exercitu*. Assumptio verò, post breve Luculli encomium, fusius explicata ordine impropero, his verbis præcedit. *Primum ex suo regno sic Mithridates* ——— *partem Glabrionis tradidit*.

Propositio tertia est, *Pompeium unum esse tanto bello præficiendum*. Ad quam hac vtitur Transitione: *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat vt de Imperatore ad id bellum deligendo, dicendum sit*. Propositio ipsa his verbis explicatur: *Vtinam Quirites* ——— *dictum facere possit*. *Propositio 3.*

Confirmatio subsequitur, quatuor constans argumentis: *Ego enim sic existimo, in summo Imperatore quatuor has res ineesse oportere*: 1. *scientiam rei militaris*, 2. *virtutem*, 3. *authoritatem*, 4 *felicitatem*: quas omnes deinceps probat in Cn. Pompeio eminere: primam his verbis: *Quis igitur hoc homine scientior?* ——— *Scientiam fugere possit*: secundam his: *Iam verò virtuti* ——— *natus esse videatur*: tertia est, *Et quemam authoritas in bello* ——— *valituram esse existimetis*. 4. *Reliquum est, vt de felicitate* ——— *optare debetis*. *Confirmatio, partis 2.*

Multiplici huic Confirmationi succedit, quinto loco, Confutatio: sententiæ, sc. & authoritatis Q. Catuli atque Hortensij, de Imperatore deligendo. Hortensij Sententia est, *Si vni omnia tribuenda sunt, vnum dignissimum esse Pompeium: sed ad vnum tamen omnia deferri non oportere*. Hanc sententiam & rationibus, & contrariâ legis Manliæ, & clarissimorum virorum authoritate, & exemplis varijs, refutat. Rationes, quibus Catulus sententiam hanc confirmare voluit, sunt duæ: prima, *Si in vno Pompeio spem populus R. esset habiturus; quid si ipse interiret?* secunda, *Nihil novi fieri debet contra exempla atque instituta majorum*. Ad primam objectionem respondet, *Quò minus certa est hominum, ac minus diuturna vita; hoc magis res-pub. dum per Deos immortales licet, frui debet summi hominis vitâ atque virtute*. Ad alteram, *Majores nostri in bello vtilitatis magis, quàm consuetudini semper paruerunt*: quod notis, tum aliorum tum ipsius Pompeij, exemplis manifestum reddit, idque ex Q. Catuli consensu & authoritate. Confutatio est his verbis: *Atenim vir clarissimus res-pub.* ——— *respondere posse videamur*. *Confutatio.*

Rem totam tandem concludit Peroratio: *Quæ cum ita sint* ——— *præferre oportere*. Quam inchoat Orator ab Apostrophe ad legis authorem; & legem, & voluntatem ejus laudans: tum, hortans eum ad perseverantiam, opem & operam suam quam maximam pollicetur: postremò suam profitetur integritatem, Deos testans se nullius rei, nisi rei-pub: causâ, Causam hanc, nec sine multis, *Peroratio.*

partim obſcuris, partim apertis, ſimultatibus ſuſcepiſſe.

Similis Partium Diſpoſitio eſt pro Quinctio.

Exordium. Primùm in Exordio benevolentiam mira ingenio & artificio captat. *Quæ res in civitate* ——— *orat atque obſecrat, vt multis injuriis jactatam atque agitatam aquitatem, in hoc tandem loco conſiſtere & confirmari patiamini.*

Narratio. Hinc deſcendit ad Narrationem: *Id quò faciliùs facere poſſitis, dabo operam vt à principio res, quemadmodum geſta & contracta ſit, cognoſcatis. Caius Quinctius fuit Pub. Quinctij hujus frater* ——— *cauſaque tota conſiſtit.* Vbi narrat Orator occaſionem controverſiæ, atque ea quæ ad Cauſæ cognitionem pertinent.

Propoſitio. Finitam Narrationem longiuſculam, ſequitur (quibuſdam commodè interpoſitis) Propoſitio. *Negamus te bona P. Quintij (Sex: Nævi) poſſedisſe ex edicto Prætoris.* Quam hic Orator (Cauſâ poſtulante) quod Hortenſio in omni Cauſa ſolenne fuiſſe ait, in tres dividit partes. In prima dicit, *cauſam non fuiſſe, cur Sex: Nævius à Prætore poſtularet, vt bona Pub: Quintij poſſideret*: in ſecunda, *ex edicto poſſidere non potuiſſe*: in tertia, *non poſſedisſe*: atque has memoriæ cauſâ repetit.

Confirmatio. Confutatio. Peroratio. Tum ſingulis Propoſitionis partibus ordine Cõfirmatis, & objectionibus ſparſim Confutatis, rem totam Concludit [primò capitibus & argumentis enumerandis, *Nævium ne appellâſſe quidem* &c. deinde affectibus, per Indignationem & Conqueſtionem, permovendis, *Nunc Cauſa peroratâ* &c.] ſuavis Peroratio.

Item pro Amerino.

Exordium. Vbi poſt elegans, vehemens, & concitatum, Exordium, in quo attentionem cum venia, & benevolentiam orat, devenit ad Narrationem. *Narratio.* *Atque vt faciliùs intelligere poſſitis, judices, ea quæ facta ſunt indigniora eſſe quàm hæc quæ dicimus; ab initio res, quemamodum geſta ſit, vobis exponemus. Sex: Roſcius pater hujuſce municeps* &c. Tũ quæſtio tribus rebus Proponitur. *Partitio.* *Totam cauſam, judices, explicemus* &c. *Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtant hoc tempore Sex: Roſcio:*

* 1. *Criminatio.* * *Crimen adverſariorum, & Audacia, & Potentia* &c. *Propoſitio* 1. *De hiſce omnibus rebus me dicere oportere intelligo.* Propoſitio prima de crimine eſt, *Occidiſſe patrem Sex: Roſcium, arguitur.* In cujus *Fide*, ſola adhibetur Confutatio: [*In hoc tanto, tam atroci, tam ſingulari maleficio* &c.] vt in *Fide* ſecundæ [de audacia] & tertiæ [de potentia] ſola *Confutatio. Prop. 2. & 3.* Confirmatio: De Audacia hîs verbis: *At ego in Tito Roſcio reperio* &c. de Potentia hîs: *Videamus nunc ecquæ facultas ſuſcipiendi maleficij fuerit* &c. *Confirmatio.* Poſtremò, vehementi cum Chryſogono expoſtulatione,

latione, & gravi ad judices hortatione, perorat. *Verum hæc omnia* *Peroratio.*
ratio &c.

Sed naturalis Partium ordo non ubique servatur: ut in Impropria Dispositione videre est, v. l. 2. c. 3. § 4.

Cap. 4. De Quæstione.

§ 1. *De generali ejus Materia.*

HUcusque de Oratione: restat, in Oratoriæ Finitione, Quæstio.

QUÆSTIO est (a) res quælibet Orationе discutienda. Ideoque (b) plurimarum rerum notitia Oratori est necessaria: quam siquis adhuc, novitius, adeptus non sit; saltem (c) Quæstionem propositam perfectè calleat. * *Dicendi enim virtus, nisi ei qui dicit ea de quibus dicit percepta sint, extare non potest.* * Orat. l. 1. ¶ 11.

Ad c. 4. § 1.

(a) *Res qualibet.* § Orat. l. 1 ¶ 5. *Vis Oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri videtur, ut omni de re, quacunque sit proposita, ab eo ornatè copioseque dicatur.* Quam sententiam copiosâ inductione confirmatam, sic tandem concludit Crassus: *Quamobrem si quis universam & propriam Oratoris vim definire complectique vult; is Orator erit, hoc tam gravi digmus nomine, qui quacunque res inciderit, quæ sit Dictione explicanda, prudenter, & compositè, & ornatè, & memoriter, dicat, cum quadam etiam Actionis dignitate.* Et Q. lib. 2. c. 15. *Omnia subjecisse Oratoris videtur Aristoteles, cùm dixit Rhetoricen esse facultatem videndi, quid in quaque re possit esse persuasibile.* † *Gorgias quidem adeò Rhetori omnibus putavit esse dicendum, ut se in auditorio interrogari pateretur, quâ quisque de re vellet.* †Q. l. 2. c. 21. ex Orat. l. 3. ¶ 30

(b) *Plurimarum.* Orat. l. 1. ¶ 5. "Est enim scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atq; irridenda est: *Et ibidem.* Meâ quidem sententiâ, nemo poterit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit, omnium rerum magnarum, atque Artium, scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet Oratio: quæ, nisi subest res ab Oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & pene puerilem. *Et* ¶ 39. Legendi etiam Poëtæ, cognoscenda historia, omnium

" omnium bonarum artium scriptores ac doctores, & legen-
" di & pervolvendi; &, exercitationis causâ, laudandi, inter-
" pretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: disputandumque de om-
" ni re in contrarias partes: & quicquid erit in quaque re quod proba-
" bile videri possit, eliciendum atque dicendum. Perdiscendum jus
" civile, cognoscendæ leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria
" consuetudo, disciplina rei-pub.; jura sociorum, fœdera, pactiones, cau-
" sa imperij cognoscenda est. *Quam vis nimia illa Hippiæ scientia, nec*
* Orat. l. 3. ¶ 20. " *expetenda, nec expetenda sit:* * qui cum Olympiam veniſſet, maxi-
" mâ illâ quinquennali celebritate ludorum gloriatus est cunctâ pene
" audiente Græciâ, nihil esse, vlla in arte, rerum omnium, quod ipse
" nescîret: nec solùm has artes, quibus liberales doctrinæ, atque inge-
" nuæ continerentur, Geometriam, Musicam, Literarum cognitionem,
" & Poetarum, atque illa quæ de naturis rerum, quæ de hominum
" moribus, quæ de rebus-pub. dicerentur; sed annulum quem haberet,
" Pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se suâ manu con-
" fecisse.

(c) *Quæstionem propos.* Q. l. 5. c. 7. *Domitius Afer, quem adolescentulus senem colui, verissimè præcepit, primum esse officium Oratoris, vt totam causam familiariter norit.* Et Orat. l. 2. ¶ 45. Antonius: *Hoc primum præcipiemus, Quæcunque Causas quis erit acturus, vt eas diligenter penitusq; cognoscat. In foro, tabula, testimonia, pacta, conventa, stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in Causa versantur, tota cognoscenda est: quarum rerum negligentiâ Pleraſque Causas vidimus amitti.* Eos itaque reprehendit Causidicos, *qui, dum operam suam multam existimari volunt, (vt toto foro volitare, & à Causa ad Causam ire videantur) Causas dicunt incognitas. Quod nemo potest ea de re, quam non novit, non turpissimè dicere.* Variam autem Causarum cognoscendarum rationem, ipse suo tradit exemplo. *Equidem soleo dare operam, vt de sua quisque re me ipse doceat; & nequis alius adsit, quo liberiùs loquatur; & agere adversarij Causam, vt ille agat suam, & quicquid de sua re cogitârit, in medium proferat.*

C. 4. § 2.

De Statu.

COmmunis (a) affectio Quæstionis est Status.

(b) Status est, quod ex prima Partium conflictione, [i. alterius intentione, alterius depulsione] oritur.

Est autem (c) triplex: Conjecturalis, Definitivus, Consecutorius. (d) Conjecturalis, An sit, (e) Definitivus, Quid

Quid sit. (f) Consecutorius, Quale sit, id de quo quæritur, ostendit: Atque hic est (g) vel simplex, vt *Expetendane sit gloria*; vel comparatus, vt *Gloria, an divitiæ, magis expetendæ sint.*

Ad. c. 4. §. 2.

(a) *Com. affectio.* Q. l. 3. c. 6. *Quæstio nulla non habet vtique Statum.* Et paulò post, tria statuens Statuum genera, *His* (inquit) *infinitæ Quæstiones, his finitæ, continentur.* Et de finitis, Invent. l. 2. ¶ 3. *Omnis, & Demonstrativa, & Deliberativa, & Iudicialis Causa, necesse est in aliquo eorum, quæ † antè exposita sunt, Constitutionis genere versetur.* † sc. l. 1. ¶ 15.

(b) *Status est.* Top. ¶ 53. *Status est, in quo primum insistit, quasi ad repugnandum, congressa Defensio.* Et Invent. l. 1. ¶ 14. *Constitutio est prima Conflictio Causarum, ex Depulsione intentionis profecta.* Item Q. l. 3. c. 6. *Status dicitur, vel ex eo quod ibi sit primus Causa congressus, vel quòd in hoc Causa consistit. Est autem Status, quod ex prima conflictione nascitur.* E. gr. Cum quæritur, *An fecit*, si primus Orator ait, secundus negat; ea est prima conflictio, quia Intentionem prioris Depellit secundus: vnde nascitur Status, nempe Conjecturalis: At si secundus etiam ait; in eo nulla est conflictio: tum si *hoc fecisse* prior ait, secundus negat; in eo est prima conflictio: vnde nascitur Status, sc. Definitivus. Vt appositè † Q. Fecisti, Non feci: *Status*, An fecerit. Hoc fecisti, Non hoc feci: *Status*, Quid fecerit. *Quia ex his apparet, illud Conjecturâ, hoc Finitione quærendum; atque in eo pars vtraque insistit; erit Quæstio Conjecturalis, vel Finitivi Status.* † ibid.

Sed differt hic Status Rhetoricus à Statu Quæstionis Logico: qui nihil aliud est quàm Rhetorica Propositio. Vtrumq; enim, obscuris & dubijs explicatis, quid cum adversario conveniat, quid in controversia relinquatur, ostendit.

(c) *Triplex.* Orat. Perf. ¶ 8. *Quicquid est, quod in controversia, aut in contentione versetur, in eo aut* Sitne, *aut* Quid sit, *aut* Quale sit, *quæritur.* Hinc * in magna Rhetorum dissensione, tres tantùm, ab Oratore & Quintiliano statuuntur, diversis nominibus, Quæstionis Status: 1. Conjecturalis seu Inficialis, 2. Definitivus seu Nominis, 3. Consecutionis, Qualitatis, seu Iuridicialis. Vt Orat. l. 1. ¶ 37. *Cum omnis Oratio aut de infinitæ rei Quæstione sit, sine designatione personarum & temporum, aut de re certis in personis ac temporibus locata; in vtraque re quicquid in controversiam veniat, in eo quæri solet, aut* Factumne sit; *aut, si est factum*, Quale sit; *aut etiam* Quo nomine vocetur: *aut, quod nonnulli addunt*, * Rectène factum esse videatur. Et l. 2. ¶ 45. *Tria sunt omnino genera, quæ in disceptationem & controversiam cadere possunt*, Quid fiat, factum, futurumve sit; *aut* Quale sit; *aut* Quomodo nominetur.

* V. Q. l. 3. c. 6.
1. *Conjecturalis.*
2. *Definitivus.*
3. *Consecutorius.*

* De hoc additamento legebis quæ sequuntur,

nominetur. *Nam & illud quidem, quod quidam Graci adjungunt,* Rectènè factum sit; *totum in eo est, quod* Quale sit *quærimus.* Atque l. 3. ¶. 19. *Cognitionis tres sunt modi: Conjectura, Definitio, & Consecutio. Nam quid in re sit, Conjecturâ quæritur:* vt *illud,* Sitne in humano genere sapientia. *Quam autem vim quæque res habeat, Definitio explicat:* vt *si quaratur,* Quid sit sapientia. *Consecutio autem tractatur, cùm, quid quamque rem consequatur, inquiritur:* vt Sitne aliquando mentiri viri boni. Item Partit. ¶ 50. *Quoniam semper is qui defendat, resistat oportet aliquo Statu; aut Infitiando, aut Definiendo, aut aequitate opponendâ; primus ille Status rationem habet iniqui criminis, ipsam negationem infitiationemque facti: secundus quod non sit in re, quod ab adversario ponitur in verbo: tertius quod id rectè factum esse defendat, quod sine ulla nominis controversia, factum fatetur.*

Sententiam autem hanc, de tribus Statuum generibus, Fabius d. c. sic confirmat. *Credendum igitur est iis, quorum auctoritatem secutus est Cicero, tria esse quæ in omni disputatione quæruntur,* An sit, Quid sit, Quale sit: *quod ipsa nobis etiam natura præscribit. Nam primùm oportet subesse aliquid de quo ambigitur:* quod quid sit, *aut* quale sit, *certè non potest æstimari, nisi prius* esse *constiterit: ideoque ea prima Quæstio. Sed non statim quod* esse *manifestum est, etiam* quid sit *apparet: hoc quoque constituto, novissima* qualitas *supereſt: nec, his exploratis, aliud est ultrà. His infinita Quæstiones, his finita contínentur.* Infinitæ Quæstionis exemplum sit, *An sit sapientia in hominum genere.* Si primæ huius Intentionis sit Depulsio; statim conflígitur: & Status est Coniecturalis: si hac Intentione admissâ, quæratur, *An sapientia sit rerum humanarum, divinarumque scientia;* & hìc altera pars, alterius Intentionem depellat; ex hac conflictione oritur Status Definitivus: si & quòd sit, & quid sit, pars vtraque consentiat; & vlteriùs quæratur, *An sapientis sit aliquando misereri;* altera pars aiens, altera negans, conflictionem faciunt in Statu Consecutionis. Simile habet Orator Exemplum, Partit: ¶ 46. I. Sit, necne: vt *Ius in natura sit an in more.* II. Quid sit: vt *Sitne jus id quod majori parti sit vtile.* III. Quale sit: vt *Iustè vivere, sit necne vtile.* Trium etiam in Quæstione finita Statuum exempla ibidem sequuntur, ¶ 50. Conjecturalis, *Ceperitne pecunias Decius:* Definitionis, *Minuerit ne majestatem Norbanus:* Æquitatis, *Iurene occiderit Opimius Gracchum.*

Duo in Causis Status. Sed in Quæstionibus finitis, [seu Causis] posteriores duo Status videntur coincidere. Exempli gratiâ. Accusatur Titius sacrilegij, quòd è loco sacro rem privatam sustulerit. Titius factum concedens, sed furtum simplex, non sacrilegium, dicendum esse dicens, Statum facit Nominis, seu Definitivum: qui tamen, cùm vtriusque criminis & nomen & finitio ex jure petenda sit, non rarò Iuridicialis etiam appelletur.

Dalton. Iidem quatuor definit Ius nostrate homicidij modos, suis distinctos

ctos nominibus. Primum, ex præcedente & præmeditatâ malitiâ, nominat **Wilfull murder**: alterum, ex subitâ iracundiâ, **Manslaughter by chancemedly**: tertiũ, quod fortuitò & ignoranter fit, **Manslaughter by misadventure**: vltimum, quod fit se, vitamque suam, defendendo, **Manslaughter in his owne defence.** Hic si de facto quæratur, vtrùm Titius à Mævio, **John a Nokes** à **John a Stile** occisus sit; Status est Conjecturalis: si de modo & nomine facti vtrùm dicendum sit **Murder** an **Manslaughter**, huius vel illius modi; Status est Qualitatis, quia ostendit qualitates & differentias quibus Cædis genera diffinuntur: vnde & Definitivus appellatur: dicitur etiam Status Nominis, quia, juxta diversas naturas & definitiones, diversa sortiuntur nomina: dicitur & idem juridicialis, quia tum nomina tum definitiones ex jure desumenda sunt. Duplicem hunc in Causis Statum videtur etiam tradere Antonius Orat. l. 2. ¶ 45. *Sæpe autem res, non, Sit Necne; sed Qualis sit, quæritur: vt, Cùm L. Opimij Causam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo Consul, nihil de C. Gracchi nece negabat: sed id jure, pro salute patriæ, factum esse dicebat.* Sic pro Milone ait Cicero, *Illud in judicium venit, non occiderit Clodium, * quod fatemur; sed jurene an iniuriâ:* Vbi factum admittens, omittit Statum Conjecturalem; & in modo facti insistens (quem probat Orator fuisse homicidium se defendendo) Statum facit Nominis, seu Definitivum: qui ideo etiam Iuridicialis dicatur, quod ex Iure [sc: † naturæ] petitur illius defensio. Vnde * *Archidemus* duos omnino facit Status, Conjecturalem, & Finitivum, exclusâ Qualitate: quia sic de ea quæri existimabat, quid esset iniquum, quid iniustum, quid dicto audientem non esse. Alii duos item Status esse voluerunt: sed vnum Inficialem, alterum Iuridicialem. Inficialis illis est, quem nos dicimus Conjecturalem: quia Accusatorem conjecturâ, Reum inficiatione vti puteverunt. Et quemadmodum ab Archidemo exclusa Qualitas; sic ab his repudiata Finitio: nam subjiciunt ea Iuridiciali. Vt cùm quæritur, Iustumne sit, Sacrilegium appellari quod objicitur, vel Furtum, vel Amentiam. Assentitur etiam Theod. l. 1. c. 13. ipse Aristoteles. *Verùm quoniam sæpe concedentes fecisse, aut nomen facti negant, aut id de quo est Intentio, vt cepisse, sed non furatum fuisse; verberâsse, sed non contumeliatum esse; fuisse vnà, sed non adulteratum fuisse; aut furatum esse, sed non commisisse sacrilegium; (non enim rem divinam attigisse) aut sustulisse, sed non publicè; aut collocutum cum hostibus fuisse, sed non prodidisse; propterea oportebit etiam, quid furtum sit, quid contumelia, quid adulterium, determinare: vt sive esse, sive non esse, justum velimus ostendere, facere queamus.* Nam quod hìc conceditur, ad Statum pertinet Conjecturalem; quod negatur, ad Statum Definitivum, sive Iuridicialem. In his duobus omnes comprehendens, ait † Fabius, *Cùm dicit Reus, Etiamsi feci, rectè feci; Qualitatis*

* Vid. c. 3. §. 3. & (b) in Notis.

† Offic. l. 1. ad initium. *Principio generi animantium omni est à natura tributum, vt se, vitam, corpusque tueatur.*

* Q. l. 3. c. 6.

† l. 3. c. 6.

vtitur Statu: cùm dicit, *Non feci, Conjecturam movet.* Vt cùm Rabirium accuſaret Labienus, quod Saturninum injuſtè interfecit; * Hortenſius primus Rabirii Patronus primæ Intentionis Depulſione, Statum facit Conjecturalem: Cicero verò, primam admittens, & ſecundam depellens, Statum facit Iuridicialem. *An Rabirius Saturninum injuſtè interfecerit.*

* Vide Orat. pro Rabirio.

Ad eundem modum, in genere Demonſtrativo, cùm quis quem laudat ob facta, quæ bona dicit & laudabilia, ſi adverſarius neget ab eo facta eſſe; Status fit Conjecturalis: ſi concedens facta, neget bona eſſe; fit Status Diffinitivus & Qualitatis.

Item, in genere Deliberativo, ſi quis quid ſuadeat, quod & fieri poterit, & factu dignum ſit; diſſuaſor, negans fieri poſſe, Statum facit Conjecturalem: hinc autem Intentionem admittens & ſecundam, de dignitate, depellens, Statum Qualitatis facit, & Definitivum; nomine, non re, diverſum. Quum enim duæ tantùm ſint Intentiones; efficitur vt duo tantùm ſint etiam Status: ſicut manifeſtè docet in Partit: ¶ 49 Orator. *Suaſoria proponitur ſimplex ratio: Si & vtile eſt, & fieri poteſt; fiat: Diſſuaſoria duplex: vna, ſi non vtile eſt, ne fiat; altera, Si fieri non poteſt, ne ſuſcipiatur.* † Fabius hic docet, Statum Conjecturalem eſſe, non modò cùm Deliberatur, An quid fieri poſſit; vt *An ſiccari poſſit palus Pontina*; ſed etiam cùm quæritur, An quid fecerit: vt *An vendidit Hannibal ſi Scipio exercitum in Africam tranſtulerit.*

† lib. 3. c. 8.

(d) *Conject.* De *nominis* ratione ſic Q. l. 3. c. 6. *Conjectura dicta eſt à conjectu: id eſt, directione quadam rationis ad veritatem: vnde etiam ſomniorum atque omnium interpretes, Conjectores vocantur.* Et T. Invent. l. 1. ¶ 14. *Cùm facti controverſia eſt, quoniam conjecturis Cauſa firmatur, Conſtitutio Conjecturalis appellatur.*

(e) *Definit.* Definitivus à Definitione dicitur: quam ſic definit T. in Top. ¶ 25. *Definitio eſt oratio, quæ id quod definitur, explicat quid ſit:* quæ (vt paulò ante) *quaſi involutum evolvit id, de quo quæritur.* Et Invent. l. 1. ¶ 14. *Cùm Nominis eſt controverſia, quia vis vocabuli definienda verbis eſt, Conſtitutio Definitiva nominatur.*

(f) (g) *Conſecut.* Sic dicitur, quia in eo quæritur, quid rei cujuſque vim & naturam conſequatur. (Vide in (c) Orat. l. 3. ¶ 19.) Partit. ¶ 46. *Tertio in genere, in quo Quale ſit quæritur, aut de honeſtate, aut de vtilitate, aut de æquitate dicendum eſt.* vt Honeſtumne ſit pro amico periculum aut invidiam ſubire: Sitne vtile in Repub. adminiſtranda verſari: Sitne æquum amicos cognatis anteferre. *Atque in hoc eodem genere, in quo Quale ſit quæritur, exoritur aliud quoddam diſputandi genus. Non enim ſimpliciter ſolùm quæritur, quid honeſtum ſit, quid vtile, quid æquum; ſed etiam, ex comparatione, quid honeſtius, quid vtilius, quid æquius: atque etiam quid honeſtiſſimum, quid vtiliſſimum, quid æquiſſimum.* Item Orat. l. 3. ¶. 19. *Conſecutionis aut ſimplex eſt quæſtio, vt ſi diſſeratur,* Expetendane ſit gloria; *aut ex comparatione,* vt Laus an divitiæ magis expetendæ ſint.

Cap. 5. De Quæstionis Partibus.

§ 1. De Consultatione, & Causa.

QVæstio est (a) vel Consultatio, vel Causa.

(b) Consultatio est Quæstio infinita, in qua generatim de Thesi quæritur: vt, *An vxor sit bonum.*

(c) Causa est quæstio personis & temporibus definita, in qua speciatim quæritur de Hypothesi: vt, *An Socrati Zantippe sit bonum.*

Causarum (d) tria sunt genera: Demonstrativum, Deliberativum, Iudiciale. Causa Demonstrativa est, quæ personas & res (e), (f) vel bonas vel malas (g) esse demonstrat. Causa Deliberativa est, quæ (h) res & facta futura (f) vel bona vel mala (g) fore deliberat. Causa Iudicialis est, quæ facta præterita (f) vel bona vel mala (g) fuisse judicat.

Ad c. 5. § 1.

(a)(b)(c) *Partit.* ¶ 7. *Quæstio duas habet partes. Infinitam, quam Consultationem appello; & definitam, quam Causam nomino.* Et postea. *Duo sunt (vt initio dixi) Quæstionum genera: quorum alterum finitum temporibus & personis Controversiam seu Causam appello. alterum infinitum, nullis neque personis, neque temporibus notatum, Consultationem seu Propositum voco. Sed est Consultatio quasi pars Causæ quadam & Controversiæ: inest enim Infinitum in Definito.* Itaque * *Controversiæ ea quæ sunt certis personis & temporibus notatæ, detractis temporibus & personis fiunt rursus Infinitæ; & ad Consultationis formam rationemque revocantur.* Sic etiam Orat. l. 3. ¶ 19 ex Græcorum sententia, Crassus: *Omnis civilis Oratio in horum alterutro genere versatur: aut definitâ controversiâ certis temporibus ac Reis;* [*hoc modo*, Placeatne à Carthaginensibus, captivos nostros, redditis suis, recuperari;] *aut infinitè de universo genere quærentis*, Quid omnino de captivis statuendum ac sentiendum sit. *Atque horum superius illud genus, Causam aut Controversiam appellant: eamque tribus, Lite, aut Deliberatione, aut Laudatione definiunt: hæc autem altera Quæstio infinita, & quasi proposita, Consultatio nominatur.* Unde l. 3. c. 5. Quintilianus, *Quæstio infinita est,*

* ¶ 50.

quæ, remotis perſonis & temporibus, & locis, cæteriſque ſimilibus, in vtramque partem tractatur: quam Graci θέσιν dicunt, Cicero Propoſitum: vt, An providentiâ mundus regatur: An accedendum ſit ad remp: adminiſtrandam: *Finita autem eſt ex complexu rerum, perſonarum, temporum: hæc ὑπόθεσις à Gracis dicitur, Cauſa à noſtris.*

Infinita Quæſtio puerorum in ludo ingeniis exercendis inſervit: Definita verò Oratoribus perfectis in foro convenit: vt dolendum hodie nimis ſit & miſerandum, viros doctos, Oratores perfectos, legum, linguarum, & ſcientiarum omniſmodi, gnaros, ſuavem ſuam & politam Eloquentiam, in Quæſtionibus iſtis Infinitis & puerilibus inaniter collocare; indoctos contrà, & bonarum artium rudes, Definitas illas, de Cenſu, de Re familiari, de Hæreditate, de Vita etiam & Nece, non ſine immani quæſtu, Quæſtiones agitare.

(d) *Tria ſunt gen.* Alex. c. 1. *Tria ſunt genera civilium Cauſarum: Deliberativum, Demonſtrativum, Iudiciale.* Et Theod. l. 1. c. 3. *Neceſſariò tria ſunt Dicendi genera: Deliberativum; Iudiciale, Demonſtrativum.* Sic Heren. l. 1. ¶ 4. *Tria ſunt genera Cauſarum, quæ recipere debet Orator. Demonſtrativum, Deliberativum, Iudiciale.* Et Partit: ¶ 47. *Tria genera Cauſarum exiſtunt: vnum quod à meliore parte Laudationis eſt appellatum, Deliberationis alterum, tertium Iudiciorum:* † *Et quemadmodum mea fert opinio, Oratoris ars & facultas, in hac materia tripartita verſari exiſtimanda eſt.*

† Invent. l. 1. ¶ 10.

(e) Factorum (quæ Perſonis & Rebus nonnulli adiiciunt) Demonſtratio pertinet ad Perſonas: (vide (c) in Notis ad c. 5. § 2.) neque enim tam Perſonarum Facta, quàm Perſonæ ob facta, laudari dicuntur, aut vituperari. Imo verò neque propter facta, ſed propter habitus, (quorum ſigna & effecta Facta ſunt) Perſonas laudari vult Ariſtoteles. Vide (h) in Notis ad c. 5. §. 2.

(fff) *Bona vel mala.* Finis Cauſæ Demonſtrativæ, dicitur *Honeſtum* & *Turpe*: Deliberativæ, *Vtile* & *Inutile*: Iudicialis, *Iuſtum* & *Iniuſtum*. Sed *Bonum* potiùs & *Malum*, quæ fines iſtos omnes complectuntur, ſingularum eſſe Cauſarum dixerim. Etenim laudamus quid, tam quòd *Vtile* ſit aut *Iuſtum*, quàm quòd ſit *Honeſtum*: & tam ſuademus ad *Honeſtum* & *Iuſtum*, quàm ad *Vtile*: & defendimus non modò quòd *Iuſtum* eſt, ſed etiam quòd *Vtile* aut *Honeſtum*. Hoc eſt, laudamus, ſuademus, defendimus, *Bona*; *Mala* contrà vituperamus, diſſuademus, accuſamus. Itaque Cicero in Partit: ſuum cuique Cauſæ tribuens primarium finem, ſc. Demonſtrativæ *Honeſtum* & *Turpe* ¶ 48. Deliberativæ *Vtile* & *Inutile* ¶ 49. Iudiciali Æquum & *Iniquum* ¶ 50. ſub quovis primario reliquos duos, vt ſecundarios, comprehendere putandus eſt. Siquidem Ariſt. Theod. l. 1. c. 3. ſecundarios ad primarium quemlibet expreſſè annectit. *Cùm tres ſint Cauſæ, fines etiam tres ſunt: Conſulenti*, Vtile *aut contrà; cætera verò, aut* Iuſtum *vel* Injuſtum, *aut* Honeſtum *vel* Turpe, *ad hæc aſſumunt: Litiganti*, Iuſtum & Injuſtum; *Cætera verò etiam ad hæc aſſumunt: Laudanti & Vituperanti*, Honeſtum & Turpe; *ſed hi quoque ad hæc*

cætera

cætera referunt. Ad Alex. autem c. 6. fines iſtos omnes omnium Cauſarum pariter communes eſſe diſertè docet. *Et juſtum & legitimum, & vtile & honeſtum, & jucundum, ſpeciebus omnibus ſunt communia.*

(ggg) Ariſt. Theod. l. 1. c. 3. *Horum generum vnicuique tempus accommodatur: Conſulenti ſuturum: de futuris enim deliberat aut ſuadens aut diſſuadens. Litiganti præteritum: nam de præteritis ſemper alius accuſat, alius defendit. Demonſtranti præcipuè tempus præſens: nam omnes ſecundum ea quæ præſentia ſunt laudant, aut vituperant: ſed vtuntur etiam ad hæc plerumque præteritis, in memoriam illa reducentes, futura quoque de ijs conijcientes.*

(h) *Res* hìc & *facta futura* ſunt Contingentia, & poſita in noſtra poteſtate: vt docet Ar: Theod. l. 1. c. 4. *Primum igitur tenendum eſt, non de omnibus Bonis aut Malis Deliberantem deliberare; ſed de ijs quæ poſſunt fieri & non fieri: de ijs autem quæ neceſſariò ſunt aut erunt, aut quæ impoßibile eſt eſſe vel fieri, nulla Deliberatio eſt. Sed neque de cunctis contingentibus: ſunt enim quædam à naturâ, quædam à fortunâ, bona; quæ quamvis contingentia ſint, poßintque fieri & non fieri; nihil tamen ad ea confert Deliberatio. Hinc patet, de ijs eſſe Conſultationem, quæcunque referre ad nos nata ſunt, quorumque origo & cauſa in nobis eſt.* Cujus generis, in Cauſis publicis, (Nam in privatis ſunt infinita) quinque recenſet. *Maxima, de quibus omnes Deliberant, ſunt, de opibus, de bello ac pace, de regionis cuſtodia, de ijs quæ inferuntur vel efferuntur, de legum-latione.* De quibus omnibus Deliberandi modum deinceps tradit.

C. 5. §. 2.

De Cauſa Demonſtrativa.

CAuſa Demonſtrativa eſt (a) vel Laudatio, vel Vituperatio. Laudatio eſt (b) vel Perſonæ, vel Rei.

Perſonæ laudatio eſt, ex (c) bonis vel internis, vel externis, Externa ſunt (d) patria, (e) genus, Poſteri, (f) tutores, amici, (g) opes, honores, potentia. Interna, Corporis ſunt, vel animi. *Corporis*, ſanitas, robur, agilitas, forma, proceritas: *Animi*, ingenium, memoria, indoles, ſcientia, (h) virtus. *Laudatio perſonæ.*

Petitur autem hujuſmodi Laus, non ſolùm ab Adjunctis & effectis; ſed etiam ab alijs locis: vt (i) Cauſis, ſubjectis, contrarijs, (k) notatione, (l) comparatione, teſtimonio, &c. (m)

Laudatio perſonæ, ſi in conventu publico & populari

ſit

ſit, (n) Encomion dicitur: ſi in cœtu maximè publico,& ſolenni, (o)Panegyricum.

Vitup. Perſonæ. (p) E contrarijs malis, ducitur Perſonæ vituperatio: quæ ſi vehementior ſit, (q) Invectiva: atque hæc in principem aliquam perſonam (r) Philippica dicitur.

Laudatio Rei. Laudantur item Res [vt Regiones, vrbes, virtutes, ſcientiæ, animalia] ex bonis, vel internis, vt ſunt naturæ, & proprietates, ſeu qualitates, inhærentes; vel externis, vt ſunt ſubjecta, adjuncta, cauſæ, effecta. Exempla Rei laudatæ vide in †, vt Perſonæ in *, poſt notas.

Vitup. Rei. Vituperantur contrà ex vtriuſque generis malis.

Ad c. 5. § 2.

(a) Cujuſque Cauſæ [Demonſtrativæ, Deliberativæ, & Iudicialis] definitionem vide in (d) &c. § 1. Cicero Invent. l. 1. ¶ 10. eas dividendo definit. "Demonſtrativum genus eſt, quod tribuitur in "alicujus certæ perſonæ, vel rei, Laudationem, aut Vituperatio- "nem. Deliberativum eſt, quod poſitum in diſceptatione & conſul- "tatione civili, habet in ſe Sententiæ [*1. ſuaſionis aut diſſuaſionis*] "dictionem. Iudiciale eſt, quod poſitum in judicio, habet in ſe ac- "cuſationem & defenſionem, aut petitionem & recuſationem. Quas Diviſiones Ariſtoteles Theod. l. 1. c. 3 ſic ſimul proponit: "Eſt autem Deliberationis alia pars ſuaſio, alia diſſuaſio: Iudicij, a- "lia accuſatio, alia defenſio: Demonſtrationis, alia laus, alia vi- tuperatio. Demonſtrationis ſpecies, ſic Idem Alex. c. 3. definit: "Laudativa ſpecies eſt, & voluntatum, & rerum geſtarum, & verbo- "rum illuſtrium amplificatio, & eorum quæ abſunt; accommodatio: "vituperativa autem contrà, illuſtrium horum extenuatio, obſcuro- "rum verò exaggeratio.

(b) *Vel perſona vel rei.* Theod. l. 1. c. 9. *Accidit joco vel ſerio laudare ſæpe, non ſolùm homines aut Deum; ſed etiam inanimata, aliorumque animalium quodlibet.*

(c) *Bonis vel intern.* Theod. l. 1. c. 5. *Sufficientiſſimus quiſpiam erit, ſi ſibi aſſint, quæque in ipſo, quæque extrà, ſunt bona. Sunt autem in ipſo, quæ in anima ſunt, vt virtus; & quæ in corpore, vt ſanitas, forma, vires, proceritas, robur ad certandum: extrà verò, nobilitas, amici, pecunia, honores. Nobilitas autem gentis ac civitatis eſt*, &c. Item Partit. ¶ 48. "Quoniam in tribus generibus Bona "Malave verſantur, Externis, Corporis, Animi; prima ſunt Externa, "quæ ducuntur à genere: quo breviter modicèque laudato; aut, ſi vir "infame, prætermiſſo, ſi humile, vel prætexto, vel, ad augendam ejus "quem laudas gloriam, tacto; deinceps, ſi res patiatur, de fortunis

"ejus

" erit & facultatibus dicendum. Postea de Corporis bonis: in quibus " quidem, quæ virtutem maximè significat, facillimè forma laudatur. " Deinde est ad facta veniendum: quorum collocatio triplex est: aut " enim * temporum servandus est ordo; aut in primis recentissimum " quodque dicendū; aut multa & varia facta in propria † virtutum ge- " nera sunt digerenda. *Vbi sequitur brevis et elegans de virtutum ge-* " *neribus tractatio: quam hac Transitione concludit:* Atque hæc qui- " dem virtutum: vitiorum autem sunt genera contraria. *Et mox*, Sed in " toto quasi contextu Orationis, hęc erunt illustranda: maximè quem- " admodum quisque generatus, quemadmodum educatus, quemadmo- " dum institutus, moratusque, fuerit: & si quid cui magnum aut incre- " dibile acciderit: maximèque, si id divinitus accidisse potuerit videri. " Tum quæ quisque senserit, dixerit, gesserit, ad ea quæ proposita " sunt virtutum genera accommodabuntur: ex illisque ijsdem Inveni- " di locis, causæ rerum, & eventus, & consequentia, requirentur. Neq; " verò mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio præteriri debebit; " si modò quid erit animadvertendum, aut in ipso genere mortis, aut " in iis rebus quæ post mortem erunt consecutæ.

* † Vide * post notas.

(d) *Patria* (e) *genus.* Per *Patriam*, intellige vel *nativitatis & educationis; vel diuturnioris habitationis locum: per *Genus*, majores, consanguineos, affines. Vtrumque, si illustre sit, personam honorare; si obscurum, à Persona honorari, dicemus. Vide (c)

* Legib. l. 2. ad initium. *Nos & eam Patriam dicimus ubi nati; & illam quæ excepti sumus.*

(f) *Tutores, amic.* Magni enim refert, quibus studiis, & à quibus, quis fuerit educatus, & quibuscum familiariter vixerit. Vide (c)

(g) *Opes, hon. & pot.* Ex hujusmodi bonis, tum quòd bene adeptus, tum quòd bene vsus sit, quis rectè laudatur. Vide (h)

(h) *Virtus.* Propter virtutem solam propriè quis laudatur: propter cetera bona, non nisi quatenus virtutū sunt, aut indicia, aut adjumenta, aut præmia. Partit. ¶ 48. *Omnis vis laudandi vituperandique, ex his sumetur virtutum vitiorumque partibus.* Et Orat. l. 2. ¶ 82. *Perspicuum est illud, nec bonum virum propriè, et copiosè laudari, sine virtutum, nec improbum notari & vituperari sine vitiorum, cognitione, satis ex-* *signiter atque asserè posse.* Atque ibid. *Genus, forma, vires, opes, divitiæ, cæteraque quæ fortuna dat, aut extrinsecus aut corpori, non habent in se veram laudem: quæ deberi virtuti vni putatur: sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum vsu, ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in Laudationibus hæc sunt naturæ & fortunæ bona: in quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se prætulisse aliis propter abundantiam fortunæ: vt opes & copia, non superbiæ videantur, ac libidini, sed bonitati ac moderationi, facultatem & materiam dedisse.* Imo, neque propter facta insignia, nisi quòd habituum insignia sunt, quis rite laudatur. Vt docet Philosophus Theod. l. 1. c. 9. *Laudamus eos qui fecerunt, quoniam facta signa sunt habitus; nam etiam eum, qui non fecit, laudaremus, si talem crederemus.*

(i) *Causis.* Præsertim Finibus: quos cum Adjunctis insignibus inprimis requirit Aristoteles Alex. c. 3. *Digna quidem laude ea sunt, quæ justa, quæ legitima, quæ vtilia, quæ honesta, quæ jucunda, quæ facilia factu sunt.*

(k) *Notatione.* Vt *Charilaus*, gratia populi. *Alexander*, virorum propulsator. † *Iulius*, ab *Iülo*, puber aut sanus: Et * *Cæsar* à cæso in acie elephanto.

† Æn. 1. *Iulius à magno demissum nomen Iülo.*

(l) *Comparatione.* Theod. l. 1. c. 9. *Laudatum alijs compara: quod Isocrates ex consuetudine declamandi fecit. Sed oportet illustribus comparare: amplificat enim id, maximèque laudabile est, cum virtuosis melior ostenditur.*

* Servius in versum 290. [*Nascetur pulchrâ Trojanus origine Cæsar*] *Cæsar, inquit, dictus est, vel quòd cæso matris ventre natus est; vel quòd avus ejus, in Africa, manu propriâ occidit elephantem: qui Cæsar dicitur Pœnorum lingua.*

(m) Addantur etiam Circumstantiæ, quæ facti laudem augent: quales à Philosopho citantur, ibid. *Vtaris autem eorum, quæ amplificant, pluribus: vt si solus, aut primus, aut cum paucis, aut quod maximè fieri oportuit, fecit; aut, ex temporibus & occasionibus, si sæpius eandem rem rectè gessit.*

(n) (o) Encomion dicitur quòd ἐν ταῖς κώμαις, in vicis & compitis ad populum habebatur. Panegyricum ἀπὸ τῆς πανηγύρεως, i. totius alicujus gentis conventu & celebritate: quamvis Encomion etiam extendatur ad quamvis laudem; & Panegyricum ad laudem alicujus principis viri, in nobili quovis consessu: qualis fuit facunda illa Plinii, in laudem Nervæ Trajani, Oratio, in Senatu habita. Quam Commentator Catanæus divinum appellat Panegyricum. Vide ☞ in Oratoriæ epilogo.

(p) *E contrar.* Theod. l. 1. c. 9. *Vituperatio è contrarijs est.* Vt enim ex † virtutibus præcipuè ducitur laudatio; sic vituperium ex vitiis: quæ sæpe, virtutum specie ac nomine, commendari ostendet vituperator. * *Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & magnitudinem animi superbia in animis extollendis, ac despicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia,* & parsimoniam avaritia, *imitatur: & patientiam duritia immanis, & justitiam acerbitas, & religionem superstitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum; & hanc Oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi.*

† Vid. (h)

* Partit. ¶ 48.

(q) Invectiva est vehemens Personarum, ex quibuscunque malis, vituperatio; vt æstimationi & nominis dignitati detrahatur. Cujusmodi fuit Demosthenis in Æschinem, & Æschinis, contrà, in Demosthenem; ac † Tullii in Q. Fusium & reliquos Antonianos, acris Oratio.

† Philip. 8.

(r) *Philippica.* Hujus appellationis author est Demosthenes: qui Orationes eas, quas in Philippum Macedonum regem habuit, ex nomine, Philippicas inscripsit. Vnde & Cicero 14 illas Invectivas, quia simili acerbitate in principem virum, (licèt diversi nominis) ferebantur, Philippicas etiam appellavit.

* Personæ

* Personæ ex factis laudatæ, *temporum* servato ordine, exemplum habet Isocrates in Oratione funebri pro Evagora, Salaminis rege: in qua virtutes ejus, & facinora egregia copiosè & splendidè persequitur usque ad obitum. Et Plinius Iunior in nobili illa Oratione Panegyrica: quæ adeo purè, politè, acutè, magnificè, Trajani laudes depinxit; vt pro exquisito, & pene singulari Eloquentiæ exemplo Doctis habeatur. *Exempla Personæ laudatæ.*

In *Generum* ordine laudatio est pro lege Manilia: vbi res summo Imperatori necessarias, in quatuor distribuit genera: scientiam rei militaris, † virtutem, authoritatem, fœlicitatem; in ijs singulis Pompeium longè cæteris præstare, eodem, quo proposita sunt, ordine ostendit: sed priora duo rebus gestis confirmans, *temporum* quibus gesta sunt, ordinem servat. † *Fortitud.*

† Rei laudatæ exemplum est Orat. l. 1. ¶ 50. Vbi Orator, sub persona Crassi, Iurisprudentiam laudat, ex variis Adjunctis. *Exempla laudata rei.*

Si esset ista cognitio juris magna ac difficilis; tamen vtilitatis magnitudo deberet homines, ad suscipiendum discendi laborem, impellere. &c. *Sed Scævola ipse dicere solebat, nullius sibi artis facilioris cognitionem videri.* &c. *ab vtili. à facili.*

Accedit verò, quòd facilius percipi cognoscique jus civile possit, mira quadam, in cognoscendo, suavitas & delectatio. &c. *à jucundo.*

Fremant omnes licèt, dicam quod sentio, Bibliothecas mehercule omnium Philosophorum, vnus mihi videtur 12 Tabularum libellus (siquis Legum fontes & capita viderit) & authoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare. &c. *à dignitate ex comparatione ad Philosophiam.*

Percipietis etiam illam ex cognitione Iuris lætitiam, & voluptatem, quòd quantùm præstiterint Majores nostri prudentia cæteris gentibus, tum facillimè intelligetis; si cum illorum & Lycurgo, & Dracone, & Solone, nostras Leges conferre volueritis. &c. *à Iucunditate & à præstantia ex comparatione ad alienas leges.*

His ego de causis dixeram, ijs qui perfecti Oratores esse vellent, Iuris civilis cognitionem esse necessariam. *a necessario.*

Iam verò ipsa per se quantum perstò professori afferat honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? qui honoribus & rei-pub. muneribus perfunctus senex, suo jure dicat, quod apud Enninm Pythius Apollo, *à præmio, sive ab vtili & honesto.*

> ——— Is ego sum,
> Vnde sibi populi & reges consilium expetunt,
> Suarum rerum incerti: quos ego meâ ope ex
> Incertis certos, compotesque consilî
> Dimitto; vt ne res temerè tractent turbidas.

Est enim, sine dubio, domus Iurisconsulti totius Oraculum civitatis.

Aliud rei laudatæ exemplum est apud L. Florum l. 1. c. 16. Item c. 18. In hoc Tarentum, in illo Campaniam breviter ac magnificè laudat.

1. Reperitur etiam in *Consultatione* Demonstratio quædam, & Deliberatio: vt est Laus sapientiæ apud Aphthonium, & Paræneſis ad studia virtutum & literarum apud Isocratem: quæ in genere Demonstrativo, & Deliberativo malè collocantur: cùm ista subjiciantur *Causæ*, quæ non de Thesi, vt Consultatio; sed de Hypothesi quærit. *Honestum* autem & *Turpe*, *Vtile*, & *Inutile*, *Æquum* & *Iniquum*, quæ in Hypothesi tria faciunt Causarum genera, in Thesi, seu Quæstione indefinitâ, quæ genera non habet, vno Consecutionis seu Qualitatis Statu comprehenduntur omnia. Vt probè Orator, *Tertio in Statu, in quo Quale sit quæritur, aut de Honestate, aut de Vtilitate, aut de æquitate dicendum est.* Vide c. 4. § 2. (f)(g) in notis.

2. Ad Demonstrationem Personæ pertinet Oratio natalitia, nuptialis, funebris, dedicatoria, gratulatoria, gratiarum actio.

3. Ad Demonstrationem Rerum, descriptio locorum, & rerum gestarum narratio. Descriptionem Ætnæ habet Virg: Æneid. 3.

——— *Horrificis juxtà tonat Ætna ruinis.* &c.

Et Æneid: 2. artificiosam admodum, rerum in excidio Troiæ gestarum, narrationem. ——— *Fractis bello, fatisque repulsi.* &c.

C. 5. § 3.

De Causa Deliberativa.

CAusa Deliberativa est (a) Suasio vel Dissuasio: Suasionis argumenta sunt (b) fines, (c) adjuncta, effecta, opposita, comparata, (d) exempla, &c. Denique (e) quibus Locis quod factum est laudatur, ijsdem faciendum aliquid suadetur.

Dissuasiones fiunt è Locis contrarijs.

Ad c. 5. § 3.

(a) Deliberativi generis Definitionem Vide in (d) &c. § 1. Divisionem habet Aristoteles Theod. l. 1. c. 3. *Est autem Deliberationis alia pars Suasio, alia Dissuasio:* (Vide (a) in notis ad § 2.) *quas partes sic Idem definit ad Alex. c. 1. Suasio est ad aliquid eligendum, aut dicendum, agendumve, exhortatio: Dissuasio verò, nequid eligatur aut dicatur, agatur ve, dehortatio.*

* Vide (f) ad c. 5. § 1.
† Vid. l. 2. c. 2. § 1. *Suasor.*

(b) (c) * Fines & † Adjuncta quædam insignia præcipuè commendat Aristoteles, Alex. c. 1. *His autem ita definitis, Suasor ostendat oportet, hæc ad quæ exhortatur, & justa & legitima, & vtilia, & honesta, & jucunda, & facilia factu esse: quod si minus id poterit monstrandum erit, cùm ad laboriosa et gravia quadam exhortatur, hæc*

factu

factu & possibilia esse, & quàm * *necessaria. Dissuasor autem ex contrariis dehortetur oportet, vt neque justum, neque legitimum, neque vtile, neque honestum, neque jucundum, neque factu possibile hoc sit: vel saltem & laboriosissimum id esse, & minimè necessarium.* Item Partit. ¶ 49 Orator. "Illa prima sunt Suasori, aut Dissuasori videnda, quid † aut possit fieri, aut non possit: & quid * aut † necesse sit, aut non necesse. Nam & si quid effici non potest Deliberatio tollitur, quamvis vtile sit; & si quid necesse est (necesse autem id est, sine quo salvi liberique esse non possumus) id est relinquis commodis anteponendum. Cùm autem quæritur quid fieri possit; videndum etiam est, quàm facilè possit. Nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda sæpe sunt, ac si effici non possent. Et cùm de necessitate attendemus, etsi aliquid non necessarium videbitur; videndum tamen erit, quàm sit magnum. Quod enim permagni interest, pro necessario sæpe habetur. Itaque cùm constet hoc genus Causarum ex Suasione & Dissuasione; Suasori proponitur simplex ratio: Si & vtile est, & fieri potest, fiat: Dissuasori duplex: vna, Si non vtile est, ne fiat; altera, Si fieri non potest, ne suscipiatur. Sic Suasori vtrumque docendum est: Dissuasori alterum infirmare sat est.

* Secunditæ signif. vid. l. 2. c. 2. § 1. *Dissuasor.*

† * In deliberãdo efficiendi facultas & vtilitas spectandæ.

† Valde vtile. v. dict. §.

Suasor. Dissuasor.

"Vtilitas in discernendis bonis malisque (*quorum genera vide in* (c) *ad cap.* 5. § 2.) versatur. Hic illud videndum, quantò magis "homines mala fugiant, quàm sequantur bona. Nam neque honesta "tàm expetunt, quàm devitant turpia. Quis enim honorem, quis "gloriam, quis laudem, quis vllum decus, tàm vnquam expetat; "quàm ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus, fugiat? quarum rerum dolor gravis est. EST genus hominum ad honestatem natum, sed malo cultu pravisque opinionibus corruptum. Quare, in cohortando atque suadendo, propositum quidem nobis erit "illud, vt doceamus qua vi bona consequi, malaque vitare possimus. "Sed apud homines bene institutos, plurimùm de laude & de honestate dicemus: maximèque ea virtutum genera tractabimus, quæ in "communi hominum vtilitate tuenda augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus; fructus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum, proferantur.

Vtilitas.

"In efficiendi facultate, quibuscum, & contra quos, quo tempore, "quo loco, quibus auxilis armorum, pecuniæ, sociorum, earumque "rerum quæ ad quamque rem efficiendam pertinent, possimus vti, "requirendum est. Neque solùm ea sunt quæ nobis suppetunt, sed "etiam illa quæ adversantur, videnda.

Efficiendi facultas.

"Dissuadentibus autem aut vtilitas labefactanda est; aut efficiendi "difficultates efferendæ.

Dissuasor.

Dissuasor item, vt vituperator, curet oportet, ne fallant ea auditorem vitia, quæ virtutem videntur imitari. Vide (p) ad c. 3. § 2.

(d) *Exempla.* Partit. ¶ 49. *Et Suasor & Dissuasor, ad augendum,*

habeat exemplorum, aut recentium, quò notiora sint, aut veterum, quò plus authoritatis habeant, copiam. Et Q. l. 3. c. 8. *Usum exemplorum, nullis materia magis convenire, meritò fere omnes consentiunt: cùm plerùmque videantur respondere futura præteritis; habeaturque experimentum, velut quoddam rationis testimonium.* Sed delectum hìc habendum esse Idem monet: *Quamvis exempla plurimùm in consiliis possint, quia facillimè ad consentiendum homines ducuntur experimentis; refert tamen quorum authoritas à quibus adhibeatur.*

(e) *Quibus locis.* Theod. l. 1. c. 9. *Habent autem communem formam laudes cum Deliberatione. Nam quæ in Admonendo diceres, ea, Dictione orationis commutatâ, Laudem constituunt. Ut*, Non oportet gloriari in iis quæ à fortuna sunt; sed in iis quæ à seipso: *ac sta quidem dictum Admonitionis vim habet: sic verò Laudationis*: Non gloriatur in iis quæ à fortuna, sed in iis quæ à seipso sunt. *Quare cùm laudare velis, vide quid admoneres: & quando admonere velis, vide quid laudares.*

☞ 1. Vt Laudatio, sic Suasio rei indefinitæ, ad Consultationem non ad Causam, spectat. Vide ☞ 1. post Notas ad §. 2.

2. Deliberativo generi subjiciuntur, Oratio Monitoria, Consolatoria, Mandatoria, Petitoria. Obiurgatio, Expostulatio, Exprobratio, (quas hìc nonnulli reponunt) quòd de factis sint præteritis, ad tertium genus referendę sunt.

3. Materia Deliberationis quæ sit, vide (h) ad § 1.

C. 5. §. 4.

De Causa Iudiciali.

CAusa Iudicialis est (a) vel Accusatio, vel Defensio.

Accusationis argumenta, in statu Conjecturali, sunt (b) causa, (c) effectum, (d) testimonium: (e) ex Circumstantijs etiam [personâ, loco, tempore] Conjectura capienda. In statu Qualitatis argumenta sunt, quælibet (f) Iuris partes; quæ (g) justum & injustum definiunt.

Defensio Accusationem depellit, in statu Conjecturali, criminis intentati (h) inficiatione, & (i) argumentorum infirmatione: in statu Qualitatis, factum, quod negari non potest, vel (k) Iure (l) scripto, aut (m) non scripto, approbando; vel (n) Æquitatis nomine, excusando, aut extenuando.

Ad

Ad c. 5. § 4.

(a) Causæ Iudicialis Definitionem vide in (d) &c. § 1. Divisionem habet Aristoteles Theod. l. 1. c. 3. *Iudicij verò alia pars est Accusatio, alia Defensio.* (vide (a) ad § 2.) Has sic definit Idem, Alex. c. 4. *Accusatio est injuriarum criminumque expositio: Defensio, criminum et injuriarum, quæ vel in Accusationem vel in Suspicionem venerint, dissolutio.*

Accusatio de re pecuniariâ Petitio dicitur: Defensio Recusatio: quæ ideo, Invent. l. 1. ¶ 10. vnà exprimuntur. *Iudiciale genus est, quod positum in judicio, habet in se Accusationem & Defensionem; aut Petitionem & Recusationem.*

(b) *Causa.* Partit. ¶ 50. "In Conjectura, cùm est in Inficiando Reus, Accusatori (Accusatorem pro omni Actore & Petitore "appello) hæc duo sunt prima, Causa & Eventus. Causam appello "rationem efficiendi; Eventum id quod est Effectum.

Causa duas habet partes; voluntatem, & Facultatem efficiendi. *Causa partes.* Partit. ¶ 50. "Facti suspicio confirmatur, cùm & voluntatis in "Reo causæ reperiuntur, & Facultas: (*sicut Theod. l. 2. c. 19 demonstrat Aristoteles.* "Quod quis volebat & poterat, fecit: nam omnes, "si possunt, cùm voluerint, agunt.) 2. *Voluntas & Facultas.*

Voluntas Vtilitate cietur, & Affectibus.

Voluntatem ciunt vtilitas & affectus.

Ibidem. "In voluntate autem, Vtilitas ex adeptione alicujus commodi, vitationeque alicujus incommodi quæritur: vt aut Spes aut "Metus impulisse videatur; *Et paulò antè*, Vtilitatis Conjectura "movetur, si illud quod arguitur, aut Spe bonorum, aut malorum Metu fecisse dicitur: quod eò sit acrius, quò illa in vtroque genere "majora ponuntur. *Vtilitas est in adeptione boni, & vitatione mali.*

"Spectant etiam ad Causam facti, motus animorum: si ira recens, si "odium vetus, si vlciscendi studium, si iniuriæ dolor: si honoris, si gloriæ, si imperii, si pecuniæ, cupiditas: si periculi timor, si æs alienum, "si angustia rei familiaris: si audax, si levis, si crudelis; si impotens, "si incautus, si insipiens; si amans, si commotâ mente, si vinolentus: si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi; aut (si patefactum esset) depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in "longinquum tempus differendi: aut si judicii pœna levior, quàm "facti præmium; aut si facinoris voluptas major, quàm damnationis "dolor. *Voluntas affectibus excita.*

In efficiendi Facultate, spectantur animi & corporis vires, tela, opes, socii, aliaque auxilia, quæ ad facinus, quod arguitur, patrandum valent. *Facultas.*

(c) *Effectum.* Ibidem. "Effecta, seu Eventus, qui ex Causis "efficiuntur, sunt consequentia quædam signa præteriti, & quasi impressa facti vestigia: quæ quidem vel maximè suspicionem movent; "& quasi tacita sunt crimixum testimonia. Atq; hæc quidem gravio"ra, quòd *Causa* communiter videntur insinuare, & arguere omnes posse,

" posse, quorum non interfuerit aliquid; *hæc* propriè attingunt eos
" ipsos, qui arguuntur: vt telum, vt vestigium, vt cruor, vt
" deprehensum aliquid, quod ablatum ereptumque videatur, vt re-
" sponsum inconstanter, vt hæsitatum, vt titubatum, vt cum aliquo
" visus ex quo suspicio oriatur, vt eo ipso in loco visus in quo facinus,
" vt pallor, vt tremor, vt scriptum, aut obsignatum, aut depositum
" quippiam. Hæc enim & talia sunt, quæ, aut re ipsâ, aut etiam an-
" tequàm factum est, aut postea, suspicionem crimen efficiunt. Verisi-
" milia autem partim singula movent suo pondere; partim, etiamsi
" videntur esse exigua per se, multitudine tamen, cùm sunt coacervata,
" proficiunt. Quæ si non erunt, tamen *Causis* ipsis niti opor-
" tebit: adjunctâ illa disputatione communi, *Non fuisse illum*
" *tam amentem, vt Indicia facti aut effugere aut occultare*
* i. criminationi. " *non posset; vt ita apertus esset, vt locum* * *criminis relinque-*
" *ret.*

Communis ille contrà locus, *Audaciam temeritati, non prudentiæ esse conjunctam.*

(d) Testimonium, quod hìc, vt plerùmque ad Confessionem liberam restringitur, (vid. l. 2. c. 2. §. 6. ¶ 1. (f) in notis) in Iudiciis maximi solet esse momenti: De quo in Partit. ¶ 51. " Si erit etiam
" Testium facultas; primò genus erit ipsum laudandum: dicendumque,
" Ne argumentis teneretur Reus, ipsum suâ cautione fecisse; Testes
" effugere non potuisse: tum singuli laudentur: deinde etiam,
" Argumento firmo, quia tam sæpe falsum est, posse rectè non
" credi; viro bono & firmo, sine vitio Iudicis, non posse non cre-
" di. Atque etiam, si obscuri testes erunt, aut tenues; dicendum erit,
" Non esse ex fortuna fidem ponderandam: aut, eos esse cuiusque
" locupletissimos testes, qui id de quo agitur, facillimè scire possint.
† Q. l. 5. c. 7. " *Sed* † providendum, ne timidus, ne inconstans, ne imprudens
" Testis sit. Turbantur enim, & à Patronis diversæ partis
" inducuntur in laqueum: & plus deprehensi nocent; quàm fir-
" mi & territi profuissent. Multùm igitur domi antè versandi: ac
" variis percontationibus, quales haberi ab Adversario possunt, ex-
" plorandi sunt.

De Quæstione [seu testimonio tormentis extorto] vide quæ Partit. loco citato sequuntur. *Sin Quæstiones habita; dicendum de vi doloris, de opinione Majorum: qui eam rem totam, nisi probavissent, certè repudiassent.*

(e) *Ex Circumst*: Partit. ¶ 37. " Verisimilia reperiuntur ex perso-
" nis, locis, temporibus. In quibus spectantur, Naturalia, & for-
" tuita.

" Naturalia Personæ sunt, *in corpore*, valetudo, figura, vires, ætas,
" sexus: *in animo*, virtutes, vitia, artes, inertiæ, affectus; vt cupiditas,
" metus, voluptas, molestia: *Fortunæ*, genus, amicitiæ, liberi, pro-
" pinqui, affines, opes, honores, potestates, libertas: & ea quæ sunt
" iis contraria.

" Loci

" Loci *Naturalia* sunt, maritimi an remoti à mari; plani an montuo-
" si; læves an asperi; salubres an pestilentes; opaci an aprici: *Fortuita*,
" culti an inculti; celebres an deserti; coædificati an vasti; obscuri an re-
" rum gestarum vestigijs nobilitati; consecrati an profani.

" Temporis *Naturalia* sunt, præsens præteritum, futurum; vetu-
" stum, recens, instans, paulò pòst, aut aliquando futurum. Item An-
" nus ejusque partes; hyems, ver, æstas, autumnus; Mensis, dies, nox,
" hora: *Fortuita*, dies festus, natalitius, nuptialis, funebris; tempestas
" calida, frigida; tranquilla, ventosa; serena, pluviosa. Hujus igi-
" tur materiæ, ad argumentum subjectæ, perlustrandæ animo par-
" tes erunt omnes; & ad id quod agetur, ex singulis conjectura capi-
" enda.

(f) *Iuris partes.* * tum scriptæ, tum non scriptæ: quas qui non cognovit, promptam in Iudicijs dicendi facultatem habere non potest. Ideoque monet Orator, † *Meditatam nobis, ad hoc Causarum genus, esse debebunt ea, quæ dicenda erunt in Orationibus, De Natura, de Legibus, de More Majorum, de omni parte Iuris.*

* v. l. 2. c. 2. (h) in Notis.

† Partit. ¶ 53.

(g) *Iussum & injussi:* * Fines istos, cum † Insignibus quibusdam Adjunctis, vt necessaria in hoc genere Argumenta, requirit Aristoteles ad Alex. c. 4. *Accusatoris dicendum est, quando improbitatis adversarios criminetur, Eorum facinora & injusta & iniqua esse, ac civibus perniciosa: cùm verò stultitia criminetur, Quod & ipsi agenti inutilia ea sunt; & turpia, & injucunda, & quæ perfici nullo pacto queant.*

* v. c. 5. § 1. (t) in Notis.

† v. l. 2. c. 2. § 2. & ☞

(h) *Inficiatione.* Partit. ¶ 41. " Aut totum est negandum, " quod in argumentatione adversarius sumpserit, si fictum aut falsum " esse possis dicere; aut (1) redarguenda ea, quæ pro verisimilibus sum-
" pta sunt: primùm dubia sumpta esse pro certis; deinde etiam in per-
" spicuè falsis eadem posse dici; tum ex ijs quæ sumpserit non effi-
" ci quæ velit. Accedere autem oportet ad singula: sic vniversa fran-
" gentur. Conquerenda etiam conditio communis periculi; si in-
" genijs hominum criminosorum, sit exposita vita innocentium. *Et*
" *postea* ¶ 51. Defensionis autem est, primùm infirmatio causarum:
" Aut non fuisse, aut non tantas, aut non sibi soli, aut commodius po-
" tuisse idem consequi, aut non his esse moribus, aut non eâ vitâ, aut
" nullos animi motus, aut non tam impotentes, fuisse.

" Facultatum autem infirmatione vtetur, si aut vires, aut animum, aut
" copias, aut opes, abfuisse demonstrabit: aut alienum tempus, aut lo-
" cum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini: aut
" non se tam ineptum, vt id susciperet, quod occultare non posset; neque
" tam amentem, vt pœnas ac judicia contemneret.

" Consequentia autem diluet, exponendo non esse illa certa indicia
" facti, quæ etiam, nullo admisso, consequi possent: Consistetque in
" singulis: & ea, aut eorum quæ ipse facta esse dicit, propria esse defen-
" det, potiùs quàm * criminis; aut, si sibi cum accusatore communia
" essent, pro periculo potius, quàm contra salutem valere debere.

Defensio.
1. *Inficiatio.*
2. *Infirmatio Argument.*
Causarum Infirmatio.
1. *Ex voluntatis absentia.*
2. *Ex facultatis defectu.*
Effectorum infirmatio.
* 1. facti quod arguitur.

Testium infirmatio.

Et ¶ 44. " De toto genere Testium, quàm id sit infirmum, sæpe " dicendum est: & argumenta rerum esse propria, testimonia voluntatum: & de singulis testibus, Si naturâ vani, si leves, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracundiâ, si misericordiâ, impulsi: si præmio, si " gratiâ adducti. *Nam* † si quoniam testes dicunt, sine vlla dubitatione credendum sit; Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non " potest.

† *Pro Fonteio.*

Infirmatio Quæstionis.

De Testimonio autē non libero, [seu Confessione expressâ] sic item Orator loco citato in Partit. " Sæpe etiam Quæstionibus resistendum est: " quòd & dolorem fugientes multi, in tormentis ementiti persæpe sunt, " morique maluerunt falsum fatendo, quàm inficiando dolere: multi " etiam suam vitā neglexerunt, vt eos qui his chariores quàm ipsi sibi " essent, liberarent: alij autem, aut naturâ corporis, aut consuetudine " dolendi, aut metu supplicij & mortis, vim tormentorum pertulerunt: " alij ementiti sunt in eos quos oderant. Atq; etiam incurrit alia quædam in Testibus, & in Quæstionibus ratio. Sæpe enim ea quæ dicta " sunt, si aut ambiguè, aut inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut " etiam aliter ab alio dicta; subtiliter [*i. scitis interrogationibus*] deprehenduntur. Qua de re sic ait Q. * *Prima fœlicitas Interrogantis est, extorquere quod Testis noluerit. Hoc non alio modo fieri potest, quàm longiùs Interrogatione repetitâ. Respondebit enim quæ nocere Causa non arbitrabitur: ex pluribus deinde quæ confessus erit, eò perducetur, vt quod dicere non vult, negare non possit. Multa enim de ante-actis, multa de insecutis, loco, tempore, personâ, cæteris, est interrogandus, vt in aliquod responsum incidat, post quod, illi vel fateri quæ volumus necesse sit, vel ijs quæ jam dixerit, repugnare.* &c.

* l. 5. c. 7.

Porro quibus modis Testimonium & Quæstio [i. Confessio libera & expressa] probabiliores & improbabiliores fiant, vide Arist. ad Alex: c. 15. & 16. Itidem de Iure-jurando Testimonium confirmante vide c. 17. *Nemo certè pejerare vellet, cùm divini supplicij metu, tum dedecoris apud homines. Eritque subdendum, Latere homines posse, Deos autem non posse. Cùm verò adversarij ad Ius-jurandum confugerint; si extenuare id volumus, demonstrandum erit eorundem esse hominum, vt malè agant, & pejerare non curent: &c.* Quales Orator Gallos fuisse criminatur: * *An verò istas nationes religione juris-jurandi* &c.

Iuris-jurandi confirmatio & infirmatio.

* *Pro Fonteio.*

(k) *Iure.* Partit. ¶ 53. *Confitentur, in isto genere, qui arguuntur, se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur: sed Iure se fecisse dicunt.* Quamobrem, vt Accusatio, ita & Defensio, ex Iure petenda erit. Si damnum objicitur; quod tamen Iuri repugnare non ostendat Accusasator, facilis Defensio est: non enim injustum est, quod contra jus non est. Vt † *Iphicrates adversus Nausicratem fassius est fecisse se quod ille dicebat, & nocuisse; sed non fecisse injuriam.* Et * Glaucus à Diomede damnum quidem non mediocre, injuriam nullam tulit; cùm illam armorum fecit permutationem:

† Theod. l. 3. c. 15.

* Ethic. l. 5. c. 9

Homer.

Proque novem centum, pro ferro tradidit aurum.

(l) *Scripto.*

(l) *Scripto.* Si factum Lex videatur injuriæ incusare ; quærenda amica interpretatio. Et si vel Ambiguitatis, vel Defectus, vel Contrarietatis ratione, plures admittat Legis Scriptum sententias; in Ambiguitate (ubi verba eadem res varias significant) confirmanda erit quæ â nobis est sententia, infirmanda aliena: in Defectu, si Legis vniversalis & concisè positæ sententia nobis adversari videatur, supplenda erit, quam æquitas postulat. Exceptio: in Contrarietate, genuina Legis nostræ sententia simpliciter tutanda; & Lex contraria, distinctione seu exceptione explicata, nostræ erit conciliandæ.

Plures scripti sententiæ.
Ambigui.
Imperfecti.
Contrarij.

Multiplicem Scripti sententiam, his tribus evenire modis, docetur l. 1. de Orat. ¶ 37 *Existunt* (inquit Crassus) *controversia etiam ex* † *Scripti interpretatione: in quo aut ambiguè quid sit Scriptum, aut contrariè, aut ita, vt à sententia Scriptum dissideat.*

† Non magis in legibus, quàm in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus quæ ex Scripto aguntur. Top. ¶ 55.

De his singulis [Scripto sc. Ambiguo, Imperfecto, Contrario] præcepta tradit Orator. Partit. ¶ 54. " Ambigui sunt, duobus adversa-
" rijs, præcepta communia. Vterque enim hanc significationem, qua
" vtetur ipse, dignam Scriptoris prudentiâ esse defendet: vterq; id, quod
" adversarius ex ambiguè Scripto intelligendum esse dicit, aut absur-
" dum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe, esse defendet;
" aut etiam discrepare cum cæteris, vel aliorum, vel maximè, si poterit,
" ejusdem: quamque defendet ipse, eam rem & sententiam quemvis
" prudentem & justum hominem, si integrum daretur Scripturum fuisse,
" sed plantús: eamque sententiam, quam significari posse dicet, nihil
" habere aut captionis, aut vitii: contrariam autem si probârit, fore vt
" multa vitia, stulta, iniqua, contraria, consequantur. Cùm autem,
" *Defectus ratione*, aliud scriptor sensisse videtur, aliud scripsisse; qui
" Scripto nitetur, eum, re expositâ, recitatione vti oportebit: deinde in-
" stare adversario, iterare, renovare, interrogare num aut Scriptum ne-
" get, aut, contrâ, factum inficietur. *Et quæ sequuntur lectu digna.*
" Ille autem qui se sententiâ Legis voluntateque defendet, in consilio
" atque in mente Scriptoris, non in verbis ac literis vim legis positam
" esse defendet. *&c. vide locum.*

Ambigui præcepta.

Obscuri præcepta.

Pro sententiæ æquitate in Scripti defectu, sic Aristoteles. * *Æquum & bonum justum quidem est: non autem lege, sed emendatio legitimæ justi. Cui enim Lex quidem vniversaliter loquitur; in his autem, præter vniversale, quippiam accidit; tum rectè esse habet, vt eâ parte, qua legislator omisit, atque peccavit absolutè loquutus, emendetur defectus.*

* Ethic. l. 5. c. 10.

" Sin scripta inter se dissentiant, tanta series artis est, & sic inter se
" sunt pleraque connexa & apta; vt quæ paulò antè præcepta dedimus
" Ambigui, quæque proximè Sententiæ & Scripti, eadem ad hoc ge-
" nus tertium transferantur. Nam quibus Locis in Ambiguo, defen-
" dimus eam significationem, quæ nos adjuvat; iisdem, in Contrarijs
" Legibus, nostra Lex defendenda est. Deinde est efficiendum, vt
" alterius Scripti sententiam, alterius verba defendamus. Ita quæ
" modò de Scripto Sententiâque præcepta sunt, eadem huc omnia trans-
" feruntur.

Contrary præcepta.

Horum omnium exempla habet Q. l. 7.

C. 9 *Ambigui* in voce singulari exemplum est *Gallus. Vtrùm enim avem, an gentem, an nomen significet, incertum est. Sic apud Græcos contendunt Leon & Pantaleon: quòd scriptura dubia est, Bona omnia λίοντι, an bona πανταλίοντι relicta sunt.* In vocibus conjunctis exemplum est illud *Testamento quidam poni jussit statuam auream hastam tenentem. Quæritur, Statua hastam tenens aurea esse debet, an hasta esse aurea in statua alterius materia.*

C. 6 *Imperfecti* exemplum est: *Fur quadruplum solvat. Duo surripuerunt pariter decem millia: petuntur ab vtroque quadragena: illi postulant, vt vicena vterque rependat. Nam & Actor dicit hoc esse quadruplum quod petit; & Rei hoc quod offerunt.* Item: *Liberi parentes alant, aut vinciantur. Non tamen alligabitur infans.* Item, *Peregrinus, si murum ascenderit, capite puniatur. Cùm hostes murum ascendissent, peregrinus eos depulit: petitur ad supplicium, ex generali Legis sententia: sed, adjectâ exceptione, Nisi servandæ civitatis causâ, liberatur.* Quamvis Exceptiones istæ Lege non scriptâ nitantur, æquitatis sc: vel naturæ: vt dissensio hìc scripti & sententiæ, atque legum contrariarum idem planè videatur.

C. 7 *Legum contrariarum* est exemplum: *Tyrannicidæ imago in Gymnasio ponatur: &, Mulieris imago in Gymnasio ne ponatur. Harum altera alteri Exceptionem, & inde sententiam alteram, parit. Nam vel prima Lex, à secunda explicata, sic jubet, Tyrannicidæ imago in gymnasio ponatur, nisi sit mulier; vel secunda à priori explicata, sic jubet, Mulieris imago in gymnasio ne ponatur, nisi sit tyrannicida.* Cùm prioris legis sententia absoluta sit, Tyrannicida in gymnasio ponatur: ideoque mulier, si tyrannicida: & secundæ, Mulier ne in gymnasio ponatur: ideoque nec tyrannicida, si mulier. Qui ergo pro mulieris tyrannicidæ statuâ in gymnasio collocandâ dicet, absolutam prioris legis sententiam vrgeat, & exceptivam secundæ: qui contra, absolutâ secundæ, & exceptivâ sententiâ primæ, vtatur.

(m) *non Scripto.* Si Scripta Lex pro nobis nulla occurret; confugiendum est ad Æquitatem, & legem Naturæ, quæ, vt potiores, prævalere debent: sicut docet Theod. l. 1. c. 15 Aristoteles. *Si Lex Scripta adversus nos sit; communi tunc Lege vtendum est, & Æquo ac bono, tanquam justioribus. Æquum enim & bonum idem permanet semper, & nunquam immutatur: sed ne Communis lex, cùm secundùm naturam sit: Ius verò scriptum sæpius. Vnde dictum est in Antigone Sophoclis,* († cùm sepulturæ Polynicen tradidisset) *Fecisse se præter Creontis Legem; sed non præter illam non Scriptam. Non enim nunc, aut nudius tertius, sed semper ea viget. Hanc ergo ego non curabam Hominis; verùm Nullius legem.* Ius autem hoc Commune * *defendit Factum, aut vitæ, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ, nomine.*

† d. l. c. 13.

* Partit. ¶ 40.

(n) *Æquitatis.* Quòd si Iure nullo, Factum, vt justum, *approbare* dabitur, saltem, Æquitatis jure, quòd vel imprudentiâ, vel necessitate,

vel

vel casu, admissum sit; aut *excusetur*, aut *extenuetur*. Vt Theod. l. 1. c. 10, docet Aristoteles. "Injuriari est sponte nocere contra Legē: sponte "autē facimus, quæcunq; scientes & nō coacti facimus. Quæ ergo vel "necessitate, vel ignorantiā, vel casu fiunt, quia non fiūt sponte, sine in- "juria fiunt. *Et d. l. c.* 13. Si ergo quod dictum est, Æquum & bonū est; "patet æquum etiam esse, ne tanti errores fiant, quanti injuriæ; nec que "adversā fortunā eveniunt, tanti, quanti errores. Dicuntur autem Ad- "versā fieri fortunā, quæcunque, cùm præter opinionem fiunt, non fi- "unt ex pravitate: Errore autem, cùm nec præter opinionem, nec ex "pravitate: Injuriā verò, cùm non præter opinionem, & ex pravitate: "Nam quæ cupiditate fiunt, ex pravitate fiunt. Æquum etiam est rebus "humanis, ad ignoscendum, commoveri: & non legem, sed legis scri- "ptorem; ac non verba, sed sententiam spectare: nec factum, sed vo- "luntatem; nec partem, sed totum; nec quis nunc, sed quis semper, aut "fere semper fuerit; considerare: & non iniquo animo injuriam ferre: "& oratione disceptare potiùs velle, quàm re: & in Arbitrium magis, "quàm in Forum, velle descendere. Nam Arbiter ad Æquum & bo- "num, & Iudex ad Legem spectat: & hac de causa Arbiter eligitur, vt "Æquum & bonum prævaleat.

1. Rhetorum nonnulli quædam facta singularia, vt Lucretiæ sibi mor- tem consciscentis, Demonstrativo generi subjiciunt: sed cùm Causa Iu- dicialis sit de factis præteritis justis, injustis, præsertim solis & singulis; rectiùs Personę dicitur, ob factū, vel Accusatio vel Defēsio; quā ipsius fa- cti vel Vituperatio vel Laudatio. Quā ob causam Invectiva, quā aliqui Accusationi subjiciunt, meliùs in Vituperatione collocatur: cùm in ea non de singulari aliquo crimine, aut paucis, quis accersitur in judicium; sed ob facinorum multitudinem, quotquot recoli possint, & simul ob ha- bitus malos, ac bonorum privationes, & conferta cujuscunque generis mala, vituperatur.

2. *Omnium caterarum rerum Oratio ludus est homini non hebeti, ne-* Orat. l. 2. ¶ 41.
que inexercitato, neq; communium literarum & politioris humanitatis *experti: in Causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque* *haud scio an, de hujusmodi operibus, longè maximum: ubi adest arma-* *tus adversarius, qui sit & feriendus & repellendus: ubi sæpe is, qui rei* *Dominus futurum est, hostem atq; Iratum, aut etiam amicum adversarios* *& inimicus tibi est, &c.*

3. Sæpe fit vt eādem Oratione, & Laudet, & Suadeat, & Defendat, Orator: sed genus Causæ non ex Thematis tractatione, sed ex Themate ipso dignoscitur, & denominatur.

LIBER

LIBER SECVNDVS
De
Partitione ORATORIÆ:

Caput Primum,
De quinque Oratoriæ partibus.

FINITA finitione, sequitur Partitio. Oratoriæ partes numerantur (a) quinque: Inventio [c. 2.] & Dispositio, [c. 3.] Elocutio & Pronunciatio, [c. 4.] atque Memoria. [c. 5.] E quibus (b) primum par Dialecticæ, alterum Rhetoricę, acceptum refert: partem quintam non ab Arte, sed à Natura traditam, vt sibi, præ cæteris artibus, (c) necessariam, & quasi peculiarem, assumit; & præceptis perficit.

Ad Cap. 1.

(a) Quint. lib. 3. cap. 3. *Omnis orandi ratio quinque partibus constat; Inventione, Dispositione, Elocutione, Memoriâ, & Pronunciatione, sive Actione: vtroque enim modo dicitur.* Sicut Invent. l. 1. ¶ 11. *Partes has sunt, quas plerique dixerunt, Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio.* Et Orat. l. 1. *Cùm sit omnis Oratoria vis ac facultas in quinque partes distributa; primum reperire debet quid dicat, deinde inventa non solùm ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque disponere, tum ea denique vestire atque ornare oratione, post memoriâ sepire, ad extremum agere cum dignitate & venustate.* Item l. 2. vbi Antonius de Rhetoribus Græcis, *Quinque faciunt quasi membra Eloquentiæ: invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriâ mandare, tum ad extremum agere ac pronunciare.*

Quinarius hic partium numerus demonstrari videtur, ex ijs quæ habet Q. in procœmio libri 8: vbi dicit, *Orationem omnem constare rebus & verbis: in rebus intuendam* Inventionem, *in verbis* Elocutionem, *in vtrisque* Collocationem, *quæ* memoria *complecteretur*, actio, *commendaret.*

(b) *Primum par.* Topic. ¶ 2. *Cùm omnis ratio disserendi duas habeat partes, vnam inveniendi, alteram judicandi; vtriusque præceps, vt mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici judicandi vi-*

a

ai diligenter perſecuti ſunt, eâ ſcientiâ quam Dialecticen appellant: Inveniendi vero artem, quæ Topice dicitur, quæque ad vſum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt.

(c) *Neceſſariam.* Q. l. 1. c. 1. *Nam & maximè neceſſaria eſt Oratori memoria, & ea præcipuè firmatur, atque alitur, exercitatione.* v. (h) in cap. 5.

Cap. 2. De Inventione.

§ 1. *De Argumentis.*

1 INventio eſt (a) prima pars Oratoriæ, de (b) inveniendis argumentis.

Argumentum eſt, quod ad aliquid (c) arguendum (d) affectum eſt.

Argumentorum genera numerantur (e) bis dena: Conſentaneorum 8, Cauſa Effectum, Integrum Membrum; Genus Species, Subjectum Adjunctum; Diſſentaneorum tria, Diuerſa, Diſparata, Contraria; Comparatorum in quantitate 3, Paria, Majora, Minora; in qualitate 2, Similia, Diſſimilia; orta 2, Definitio, & Diſtributio; Inartificialia 2, Teſtimonium & Exemplum.

Locorum ſynopſis.



Ad

Ad cap. 2. § 1.

(a) Invent. l. 1. ¶ 13. *Inventio, quæ princeps eſt omnium partium, patiſſimùm in omni Cauſarum genere, qualis debeat eſſe conſideretur.*

(b) Huic definitioni congruit illa d. l. ¶ 11. *Inventio eſt excogitatio rerum verarum aut veriſimilium, quæ Cauſam probabilem reddant* [i. argumentorum.] v. (c)

(c) *Arguere* hìc non minùs latè patet, quàm *perſuadere*: id quod vel voces ipſæ arguunt & perſuadent: Quod enim eſt Græcè πείθω à οἶδα perſuadeo, id eſt Latinè argumentum ab arguo. Hinc fit, vt quot ſint perſuadendi, totidem ſint arguendi, modi: perſuadetur enim & arguitur, vel conciliando, vel concitando, vel explicando, vel probando, vel amplificando. Vnde oritur illa argumentorum diſtinctio, in explicantia, probantia, amplificantia, conciliantia, concitantia: quibus omnibus rei controverſæ fides fit, & Cauſa probabilior. Ideoque non malè definitur à Cicerone in Partit: ¶ 11. *Argumentum eſt probabile inventum ad faciendam* * *fidem.* Et in Topicis ¶ 3. *Argumentum eſt ratio, quæ rei dubiæ faciat fidem:* niſi quod *Affectio illa*, quæ Argumenti quaſi forma eſt, deſideretur. v. (d).

* Fides eſt firma opinio. Partit. ¶ 19.

(d) *Affectum eſt.* Eſt enim in omnibus argumentis mutua quædam duorum inter ſe Affectio: vt Cauſarum cum effectis, Generis cum ſpecie, Similis cum ſimile, &c. Genus enim tantùm arguit ſpeciem: & à Specie ſolùm genus arguitur. Et ſic de cæteris.

(e) *Bis dena.* In Topicis: Partit:, & l. 2. de Orat: Artificialis argumenti genera enumerantur hæc. *Totum, pars, definitio, diſtributio, notatio, conjugata, genus, forma, [ſeu ſpecies] ſimilitudo, diſſimilitudo, contraria, adjuncta, conſequentia, antecedentia, repugnantia, cauſæ, effecta, comparatio majorum, minorum, parium.* Hìc ſi quis *Subjecta* deſideret; ex Adjunctis intelligantur: quum neque hæc ſine illis, neque illa ſine his eſſe poſſunt. *Diverſa* etiam hìc omittuntur, quòd non re, ſed ratione diſſentiant; neque tam probationi, quàm explicationi inſerviant. *Repugnantia* poni videntur pro diſparatis: vt innuit Exemplum: *Repugnat enim* (inquit) *rectè accipere & invitum reddere.* Adeoque ipſe Ramus aliquando, vt Talæus in locum teſtatur, Repugnantia dixit pro Diſparatis. *Totum* & *Pars* ſignificant hìc ſynecdochicòs, vt paſſim, Integrum & Membrum. *Antecedentia* & *Conſequentia*, quæ abundare putes, ad Adjuncta (in quo Loco, tam ante rem & poſt rem, quàm cum re, Signa Orator collocat) cōmodè referri poſſe videntur: quàmvis hìc ideo diſſidere vult; quòd (vt placet) Adjuncta non ſemper eveniant, Conſequentia ſemper. De Teſtimonio & Exemplo duabus Inartificialis argumenti ſpeciebus, vid: § 6.

Loci. Nota hæc argumentorum genera, alicubi maluit Cicero *Locos* nominare: (è quibus ſc: argumenta ſpecialia depromi aptè dicantur.) vt Partit. ¶ 16: vbi cùm omnia argumentorum genera, tum artificialium, tum inartificialium, propoſita eſſent; de iis quærit C. F. *Omnibuſne ex his locis argumenta ſumemus?* Et in Top. ¶ 2. *Vt earum rerum quæ abſconditæ ſunt,*

ſunt, demonſtrato & notato loco, facilis inventio eſt; ſic tùm pervestigare argumentum aliquod volumus. Locos *nôſſe debemus. Sic enim appellata ab Ariſtotele ſunt, hæ quaſi ſedes, è quibus argumenta promuntur:* nimirum Top. l. 8. *Primùm quidem,* Locum *, ex quo argumentum ſumat, invenire debet is, qui quæſtionem poſiturus eſt.* Exemplo res illuſtretur.

* *Ira odium generat, concordia nutrit amorem.* * Cato l. 1.

Hìc *Ira odij* argumentum eſt, vt *concordia amoris*, vtrumque è *Loco* Cauſarum deſumptum: contrà *Odium* arguit *iram, concordiam Amor*, è *Loco* Effectorum.

Quæ ſubjiciuntur, de *Locis*, [ſeu Argumentorum generibus] breves & methodicæ præceptiones, è Petro Ramo (cuius ſingulare, in Artibus reſtituendis, acumen nunquam ſatis admirari poſſum) non tam ex parte collectæ, quàm integrè tranſumptæ ſunt: niſi quòd hìc illìc paulò ſecus quædam efferuntur, quò ſint in Oratoriæ vſum accommodatiora. Nec certè iniuriâ. Quæ enim melìùs dici non poſſunt, cui mutando deteriora fierent?

Cap. 2. § 2. De Argumentis Conſentaneis.

¶ 1 *De Abſolutè conſent.*

Argumenti diſtributio.

ARgumentum eſt (a) vel Artificiale, quod ex ſeſe arguit; vel Inartificiale.

Artificiale eſt vel primum, quod eſt ſuæ originis; vel à primo ortum. Primum eſt vel ſimplex, quod ſimpliciter & abſolutè conſideratur; vel comparatum. Simplex eſt vel conſentaneum, quod conſentit cum re quam arguit; vel diſſentaneum. Conſentaneum conſentit vel abſolutè, vt *Cauſa* & *Effectum*, *Totum* & *Pars*; vel modo quodam, vt *Subjectum* & *Adjunctum*.

CONSENTANEA.

Cauſa.

Cauſa eſt, cuius vi res eſt. Eſt autem (b) quadruplex,

Effectum.

Efficiens à } qua, Forma per quam, } res eſt. Effectum eſt,
Materia ex } Finis propter quem, }

quod è Cauſis exiſtit. Sive igitur gignatur, ſive corrumpatur, ſive motu quolibet moveatur quidlibet; hic motus, & res motu facta Effectum dicitur. Sic gladius eſt Effectum: cuius Efficiens eſt faber; Materia ferrum; forma figura, per quam ab aliis inſtrumentis diſtinguitur; finis oppugnatio & propugnatio. Sic facta, ſcripta, dicta, ſunt hominum Effecta; qui viciſſim eorum ſunt Cauſæ efficientes. Horum locorum (c) magnus & frequens vſus eſt.

Totum eſt, quod continet partes. Pars eſt quæ continetur à Toto. Eſt autem Totum vel Integrum, vel Genus; vt Pars Membrum, vel Species.

Integrum Membrum.

Integrum eſt Totum, cui partes ſunt eſſentiales: Membrum eſt pars Integri. Sic Oratoria eſt Integrum, cuius membra ſunt Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Pronunciatio, Memoria.

Ex his enim Partibus Oratoria constituitur.

Genus, Species.

Genus est Totum Partibus essentiale. Species est pars generis. Orator l. 1. de Orat. sic definit, *Genus est id, quod sui similes communione quâdam*, [hoc est, communi generis essentiâ] *specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes.* Sic *Causa* est genus, cujus Species sunt *Efficiens, Materia, Forma, Finis*: quæ generi subjectæ ejus *essentiam* [nempe *Argumentum absolutè consentaneum*] habent.

Quæ inter summum genus & speciem infimam intermedia sunt, vt superiorum species, ita inferiorum sunt genera.

(a) *Vel Artif.* Primam hanc Argumenti divisionem, in Artificiale & Inartificiale, seu Insitum & Assumptum, docet Orator Partit. ¶ 9. *Fides fit argumentis aut in reipsa insitis, aut assumptis.* Et l. 2. de Orat. ¶ 45. *Ad probandum autem duplex est Oratori subjecta materies: vna rerum earum quæ non excogitantur ab Oratore, sed in re posita, ratione tractantur: vt tabulæ, testimonia, pacta, conventa, quæstiones, leges, Senatus-consulta, res judicatæ, decreta, responsa, sunt; & reliqua, siqua sunt, quæ non ab Oratore pariuntur, sed ad Oratorem à Causa, atque à Reis deferuntur: altera est quæ tota in disputatione, & argumentatione Oratoris collocata est. Ita in superiori genere, de tractandis argumentis; in hoc autem, etiam de inveniendis cogitandum est.* Qui locus desumptus videtur ex Aristotele, Theod. l. 1. c. 2. † *Argumentorum alia inartificialia, alia artificialia. Inartificialia appello, quæ non à nobis excogitantur; sed in Causa extiterunt priùs, & sponte suppetunt, vt Testes, Scripta: Artificialia verò, quæ ratione ac viâ à nobis excogitari possunt. Itaque ipsorum alijs vti oportet, alia etiam invenire.* Hanc distributionem sententiâ etiam suâ comprobat * Quintilianus. *Ac prima quidem illa partitio, ab Aristotele tradita, consensum fere omnium meruit: alias esse probationes, quas extra dicendi rationem acciperet Orator; alias quas ex Causa traheret ipse. Ideoque illas ἀτέχνους.* [*i. inartificiales;*] *has ἐντέχνους* [*i. artificiales*] *vocaverunt. Ex illo priore genere sunt præjudicia, rumores, tormenta, tabulæ, jus-jurandum, testes: in quibus pars maxima contentionum forensium consistit.*

† πίστεων.

* l. 5. c. 1.

(b) *Quadruplex.* Arist. de somno & vig. *Plures Causarum modi numerantur: nam 4 cujus rei gratiâ quicquam est Causam affirmamus, & 1 vnde motus initium trahitur, item 2 materiam & 3 formam.* Vide etiam Physic: l. 2. c. 3.

(c) *Magnus.* Topic: ¶ 36. *Ex toto loco Causarum, in magnis quidem Causis vel Oratorum vel philosophorum, magna argumentorum suppetit copia. Conjunctus huic Causarum loco locus est Effectorum. Vt enim Causa effectum indicat; sic quod Effectum est, quæ fuerit causa demonstrat. Hic locus suppeditare solet Oratoribus & Poëtis, sæpe etiam philosophis, (sed ijs qui ornatè & copiosè loqui possunt) mirabilem copiam Dicendi, cùm denunciant quid ex quaque re sit futurum*

§ 2.

§ 2. ¶ 2. *De Conſent. modo quodam.*

Subiectum. Adiunctum.

Subjectum eſt, cui aliquid adjungitur. Adjunctum eſt, cui aliquid ſubjicitur. Vt Subjectum eſt aut recipiens aut occupans, [quod Objectum dicitur;] ita Adjunctum aut receptum aut occupatum: vt Locus ſemper eſt in Subjectis; ita Tempus in Adjunctis. Itaque *anima* ſcientiæ virtutis, *corpus* roboris pulchritudinis, *homo* divitiarum honoris, ſubjectum eſt recipiens: *color* viſus, *ſonus* auditus, ſubjectum eſt occupans, ſeu objectum: quia hi ſenſus in his ſenſilibus occupantur & exercentur. Sic *voluptas* temperantiæ & intemperantiæ, *periculum* fortitudinis & ignaviæ, *divitiæ* liberalitatis & avaritiæ, objecta ſunt. Sic *res numerabiles* Arithmeticæ, *menſurabiles* Geometriæ, ſubjiciuntur.

Vbi omnia hæc quæ Subjecta vel recipiunt vel occupant, eorum ſunt Adjuncta. Omninoque qualitates, ſive propriæ, quæ (a) ſoli, ſive communes, quæ, cum aliis, ſubjecto conveniunt: vt homini riſus, & ſomnus. Denique quicquid vlli ſubjecto extrinſecùs accidit, adjunctum ejus eſt. Itaque factorum ſigna antecedentia, conjuncta, conſequentia, in Adjunctis ponit Orator. Topic. ¶ 34. *Admonet Locus Adjunctorum, vt quæratur quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem evenerit: Quæ ante rem quæruntur, talia ſunt: mina, apparatus, colloquia, locus, conſtitutum conviuium: Cum re autem pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum vmbræ, & ſiquid ejuſmodi. At poſt rem, rubor, pallor, titubatio, & ſiqua alia Signa perturbationis & conſcientiæ: præterea reſtinctum ignis, gladius cruentus, cæteraque quæ ſuſpicionem falſi poſſunt mouere.* Quamvis Idem in Partit. hæc eadem ad effecta referre videatur. vide (c) in notis ad cap. 5. § 4. l. 1.

Inſignes adjunctorum ſpecies.

Inſignes quædum ſunt Adjunctorum ſpecies, à Rhetoribus adeo frequenter, præſertim in Demonſtrandi & Deliberandi materiis, nominatim citatæ, ac ſi eas inter ipſa argumentorum genera cenſerent. Hujuſmodi ſunt 1 Honeſtum ac Turpe; 2 Iucundum ac Triſte; 3 Neceſſarium & Impoſſibile; atq; inter ea 4 Contingens, & Poſſibile; (quod eſt vel Facile vel Difficile); 5 Neceſſarium & Pernicioſum; inter quæ eſt 6 Vtile & Invtile.

Honeſtum & Turpe.

1. *Honeſtum eſt, quod, cùm propter ſe eligibile ſit, laudabile eſt:* Ariſt. Rhad Theod. l. 1. c. 9. Et ad Alex. c. 1. *Honeſtum eſt, ex quo ſplendor alicujus atque illuſtris honos, in eo qui aliquid geſſerit, emanaturus ſit. Huic contrarium, Turpe eſt.*

Iucundum & Triſte.

2 *Iucundum eſt quod afficit gaudio.* Alex. c. 1. & Theod. l. 1. c. 11. *Iucundum eſt quod voluptatem efficit: Triſte verò ac Doloroſum, vel ejus corruptivum eſt, vel contrariæ affectionis effectivum. Ita Iucundum eſt quod ſecundum Naturam, vt plurimùm, proficiſcitur: Triſtis autem Neceſſitas eſt: rectèque dicitur, violentum omne dolorem efficere. Quare cura ſeria, animi intentiones, triſtia ſunt: Neceſſitudine enim ac vi fiunt, niſi quis faciunt, aſſueti ſint: horum verò contraria jucunda ſunt: vt deſidia, jocus, quies, accubationes, ſomnus, cùm nihil eorum*

vi fiat. Praterea cujus cupiditas inest, omne jucundum. Verùm quoniam voluptate frui tum est, cùm aliquo sensu afficimur; imaginatioque sensus quidam est debilis; necessarium est jucunda omnia, vel in sentiendo præsentia esse, vel in recolendo præterita, vel in sperando futura.

1. Necessarium & Impossibile.

3. Necessarium ambiguè significat, vel quod Impossibili, vel quod Pernicioso opponitur. *Necessarium* [primæ significationis] *est, quod vt fiat, arbitrij nostri non est; sed tanquam ex divina quadam aut humana necessitate omnino fit.* Alex. c. 1. Impossibile ex Necessario intelligitur, quod fieri nullo modo potest.

Possibile & Contingens.

4. *Possibile est, quicquid fieri naturâ potest.* Alex. c. 1. *Contingens autem quod potest cadere in vtramque partem.* Arist. Interpret. c. 6.

Possibile duplex est: quod vix fit, & quod facile. Facile est, quod vel sine dolore, vel tempore brevi fit: Difficile enim aut dolore, aut magnitudine temporis diffinitur. Theod. l. 1. c. 6. Paulò secus ad Alex: c. 1. *Facile est quod brevi tempore, & minimo labore, impensâque absolvitur.*

Vel summatim sic. *Possibile* est, quod potest fieri. *Contingens*, quod potest fieri, & non fieri. *Impossibile*, quod non potest fieri. *Necessarium*, quod non potest non fieri. Vide Arist. Prior: l. 1. c. 11.

2. Necessarium & Pernicioſum.

5. *Necessarium* [secundæ significationis] *est, sine quo salvi liberive esse non possumus:* (Partit. ¶ 49:) ideoque est valde vtile. Pernicioſum contrà est, quod saluti & vitæ officit: ideoque est valde invtile & damnosum.

Vtile & Invtile.

6. *Vtile est præsentium bonorum conservatio, aut absentium comparatio; aut malorum instantium propulsatio, aut futurorum inhibitio. Itaque hominibus privatis vtile est robur, forma dignitas, bona valetudo; fortitudo, sapientia, justitia; amici, pecunia, possessiones. His autem contraria invtilia sunt. Civitati vtilia sunt concordia, vires ad bellum, pecunia, & proventuum copia, sociorum virtus, atque multitudo: Qua verò his contraria, invtilia.* Alex. c. 1. Et Theod. l. 1. c. 8. *Vtile est, quod civitatem conservat & tutatur.*

Ad §. 2. ¶ 2.

(a) *Sols.* Arist. Top l. 1. c. 4. *Proprium est, quod solo inest & vicissim de eo dicitur: vel ut hominis proprium est, Natum esse ad percipiendam Grammaticam. Neque enim quisquam id proprium esse dicat, quod in alium rem transferri potest.*

C. 2. § 3. De Dissentaneis.

¶ 1. De Diverſ. & Disparatis.

DISSENTANEA

Dissentanea quæ à rebus quas arguunt [i. Dissentaneis] dissentiunt, sunt vel Diversa, vel Oppositа. Diversa sunt, quæ ratione tantùm

cùm deſſentiunt: ideoque eidem ſimul attribui poſſunt; alteriuſque affirmatio alterius negationem non conſtituit. Oppoſita ſunt, quæ à ſe invicem, & ratione, & re diſſentiunt: itaque eidem attribui, ſecundum idem, & eodem tempore non poſſunt: ex altero autem affirmato, alterum negatur. Oppoſita, quorum vnum multis opponitur, Diſparata; quorum vnum vni tantùm opponitur, contraria ſunt. *Diverſa.* *Diſparata.* *Contraria.*

Exemplum Diverſorum eſt pro lege Manilia. *Non victoriam, ſed inſignia victoria reportárunt.* Et 2 de Arte. *Diverſa.*

Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes. Vbi *Victoria*, & *Inſignia victoria*; *Formoſus*, & *Facundus*, diſſentionem rationis tantùm habent; quia ſimul eſſe in eodem poſſunt; neque alterius affirmatio, alterius negationem infert. Poteſt enim quis & formoſus & facundus eſſe: neque quicquam impedit, quò minùs Idem, & victoriam, & inſignia victoriæ reportet. Quamvis vſu alterum negetur, alterum affirmetur; eorumque notæ ſint, *Non*; *Sed*. Quod idem vſu venit Diſparatis: Quorum exemplum eſt Verr. 5. *Sunt homines Siculi non contemnendi; ſed homines & ſatis fortes, & ſatis frugi, ac ſobrij.* Hic *contemnendi* & *fortes* Oppoſita ſunt, quia ratione & re diſſentiunt: ideoque eidem attribui non poſſunt, ſed ex altero affirmato alterum negatur. Siquidem Siculi, ſi *fortes*, non ſunt *contemnendi*: ſi *contemnendi*; non ſunt *fortes*. Diſparata porro ſunt, quia vnum multis opponitur, *Contemnendi*, *Fortibus*; *Frugi*, *Sobrijs*. *Vſu* autem, vt in Diverſis, ita in Diſparatis, alterum negatur, alterum affirmatur. *Vlyſſes erat non formoſus; ſed facundus: Siculi non contemnendi; ſed fortes*, &c. Sic *viride*, *cinereaceum*, *rubrum*, quę media ſunt inter *album* & *nigrum*, ſingula extremis, & inter ſe diſparantur. Sic *homo*, *arbor*, *lapis*, & ejuſmodi res infinitæ: nec eadem res poteſt eſſe *homo*, *arbor*, *lapis*. *Diſparata.* i. act. 5. lib. 3.

§ 3. ¶ 2 *De Contr.*

Contraria ſunt Relata, Adverſa; Contradicentia, & Privantia: vt docet Cicero in Topicis, ¶ 33. & Ariſt. in Categ. c. 7. Sunt autem Contraria vel Affirmantia, quorum vtrumque affirmat; vel negantia, quorum alterum negat, quod alterum affirmat. *Contraria.*

Relata ſunt contraria affirmantia, quorum alterum conſtat è mutua alterius relatione. vt Metam. l. 1. *Relata.*

Non hoſpes ab hoſpite tutus:

Non ſocer à genero: fratrum quoque gratia rara eſt.

Immineat exitio vir conjugi, illa mariti:

Luridaterribiles miſcent aconita noverca.

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Adverſa ſunt contraria affirmantia, quæ inter ſe, velut è regione, adverſantur. Æneid. 2. *Adverſa.*

Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes.

Et pro Mar. *Nunquam temeritas cum ſapientia commiſcetur: nec ad conſilium caſus admittitur.*

Paria.

Contradicentia.

Contradicentia ſunt contraria negantia, quorum alterum negat vbique: vt *Iuſtum, non iuſtus.* Talia ſunt Dori dicta, de quibus Phædria Eun. Act. 4. ſc. 4. *Modo aſt, modo negat.* Ex huiuſmodi Contrariis conſtat Dialogus ille Catonis nimiùm Stoici, & Ciceronis; Pro Muræna. *Nihil ignoverù: Imo aliquid, non omnia. Nihil gratia cauſâ feceſſe. Imo ne reſiſtito gratia, cum officium & Fides poſtulabit. Miſericordiâ commotus ne ſis: Sed tamen eſt aliqua laus humanitatis. In ſententia permaneto: Enimvero niſi ſententia vicerit melior.* Quo in loco etiam, aliis pluribus Zenonis & Stoicorum paradoxis facetè vellicatis, moderatam Platonis & Ariſtotelis doctrinam, hoc modo opponit.

Privantia.

Privantia ſunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantùm ſubiecto, in quo affirmatum ſuapte naturâ ineſt: vt *Cæcum eſſe, & videre.* Atque hìc affirmatum dicitur Habitus: negatum Privatio. Martial. l. 5.

Semper eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc, niſi divitibus.

Et Catul. 1. *Quid expectas authoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis?*

Cap. 2. § 4, De Comparatis.

¶ 1. *De Comp. in quant.*

COMPARATA.

ARgumenta ſimplicia fuerunt in Conſentaneis & Diſſentaneis. Comparata ſunt, quæ inter ſe comparantur. Sæpeque *Notis* breviùs indicantur; aliquando Partibus pleniùs diſtinguuntur: quæ *Propoſitio, Redditioque* nominantur. Comparata ſunt vel in quantitate, vel in qualitate. In quantitate, Paria & Imparia. Cic. Top. ¶ 38. *Comparantur ea, quæ aut Maiora, aut Minora, aut Paria dicuntur.*

Paria.

Paria ſunt, quorum eſt vna quantitas. Sic Ariſt. Met. l. 5. c. 15. ἴσα, ὧν τὸ ποσὸν ἓν. Et Cic. Top. ¶ 38. *Parium comparatio nec elationem habet, nec ſubmiſſionem: eſt enim æqualis.* Parium Notæ ſunt (1) *Par*, (2) *æquale*, (3) *æquare*, (4) *idem quod*, (5) *tam quàm*, (6) *tantò quantò*, (7) *tot quot*, & (8) *non magis, non minùs*, ſive negatio imparium.

(1) Pro Mur. *Paria cognoſco eſſe iſta in L. Murena: atque ita paria, vt neque ipſe dignitate vincì potuerit; neque te dignitate ſuperàrit.*

(2) Æneid. 3. *Et nunc æquali tecum pubeſceret ævo.*

(3) Æneid. 6. *Imperium terris, animos æquabit Olympo.*

(4) Cat. 4. *Cuius res geſtæ atque virtutes, eiſdem, quibus Solis curſus, regionibus ac terminis continentur.*

(5) Æneid. 4. *Fam fidi pravique tenax, quàm nuncia veri.*

(6) Catul.

(6) Catul. *Tantò pessimus omnium poëta,*
Quantò tu optimus omnium patronus.

(7) Trist. 4. *Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,*
Quotque soporiferum grana papaver habet, &c.
Tot premor adversis, &c.

(8) Terent. *Non Apollinis magis verum, atque hoc responsum est.*

Atque hæc exempla sunt Explicationis: Probationis est Ter. in Adel. act. 5. sc. 3. vbi sic Demea contra Micionem argumentatur à Pari.

Mihi idem jus æquom est esse, quod mecum est tibi:
Quando ego non curo tuum, [Æschinem] *ne cura meum.*

[Ctesiphonem.] Et Cic. pro P. Sylla. *Neque verò quid mihi irascare, intelligere possum: si quòd eum defendo quem tu accusas; cur tibi quoque ipse non succenseo, qui accusas eum quem ego defendo? Inimicum (inquis) accuso meum: & amicum ego defendo meum.* Ratio est à Pari, quia vtrinque Par est irascendi causa: cum æquè molestum sit accusari amicum; atque defendi inimicum.

Imparia sunt Majus & Minus. Majus est cuius quantitas excedit id quod arguit. Minus, cuius quantitas exceditur. Itaque vt in Paribus, Par semper arguitur à Pari; ita in Imparibus, aut Minus à Majore, aut Majus à Minore. *Imparia.*

Propriæ Notæ *Majoris* arguentis *Minus*, sunt (1) *Non solum, sed etiam*; (2) *Malo, quàm*; (3) *Potiùs, quàm*; (4) *Plus, quàm*; (5) *Magis, quàm*; (6) *ante, quàm*; & (7) Comparatio Grammatica Argumento adiuncta. *Majus.*

(1) Cic. Pro Muræna. *Tollitur è Medio* —— non solùm ista verbosa simulatio prudentiæ; sed etiam illa domina rerum —— *sapientia: vi geritur res: Spernitur Orator* —— non solum odiosus in dicendo, aut loquax, sed etiam —— *bonus: horridus miles amatur.* Hìc *non solùm* est nota Minoris, quod arguitur: *sed etiam* Majoris, quod arguit. Pro Milone est Logica quædam gradatio à Minore ad Majus: in qua Majoris affirmatio Minus præcedens probabilius facit. *Neque verò se populo solùm, sed etiam senatus tradidit: neque senatui modò, sed etiam publicis præsidijs & armis: neque his tantùm, verùm etiam ejus potestati, cui senatus totam Rem-publicam, omnem Italiæ pubem, cunctas populi Romani arma, commiserat.*

(2) Iuvenalis Satyr. 8. adversus glorioſum nobilem.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacida similis, Vulcaneaque arma capessas;
Quàm te Thersita similem producat Achilles.

(3) Catil. 1. *Vt exul potiùs temare, quàm consul vexare Rem-publicam possis.* Sententia est, vt Remp. vexare non possis: quæ illustratur collatione Majoris. *Vt exul potiùs tentare,* &c. Est illud quidem minus malum; sed ideo magis eligendum: *siquidem ex malis minimum*

Sicuti

Sicuti etiam videre est in Nomine. Phil. 10. *Mors civibus Romanis semper fuit servitute potior.* Hìc servitutis malum explicatur à morte, tanquam præferendâ, seu, potiùs tolerandâ. Quod in alia locutione æquipollente patet. Cives Romani mortem malunt quàm servitutem.

(4) Pro Marc. *Plus admirationis habitura, quàm gloriæ.*

(5) Plaut. Persa 1. 6. *Adolescens, vin' vendere istanc? S. magis lubet, quàm perdere.*

6. Eclog. 1. *Antè leves ergo pascentur in æthere cervi,*
Et freta destituent nudos in littore pisces; &c.
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Sententia est, Nunquam obliviscar beneficia Cæsaris: quàm, Hyperbolicâ comparatione Majorum, illustrat Tityrus. Prius naturæ leges subvertentur; cervi pascentur in æthere, mare arefactum destituet pisces; quàm Cæsaris in me beneficia animo excident.

(7) Æneid. 1. *O passi graviora! dabit Deus his quoque finem.* Quasi dicat. Mala præterita graviora sunt præsentibus: illa passi estis: ergo quid ni & ista leviora? Vbi comparatio Grammatica pertinet ad argumentum: [sc. *Mala præterita:*] Argumentum autem est *Probationis*: Sicut Terent. Heaut. Act. 3.

Satrapes si sit
Amator, sufferre nunquam ejus sumptus queat:
Nedum tu possis — Argumentationis partes hìc exprimuntur, Assumptio & Complexio: ex quibus facilè intelligitur, quænam esset propositio. Sic itaque ratiocinatur Chremes: Si Satrapes eius amicæ sumptum sufferre non queat; Nedum tu Menedeme: at satrapes ejus Sumptum sufferre non potest: ergo nedum tu possis.

Minus. Notæ *Minoris* arguentis *Majus*, sunt (1) *Non solùm, sed ne*; (2) *Cùm, tum*; (3) Negatio Parium, & (4) Comparatio Grammatica adjuncta rei quæ arguitur.

(1) Catil. 2. *Nemo non modò Roma, sed ne vllo in angulo totius Italiæ oppressus are alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus asciverit.* Hìc *Non modò* est nota *Majoris* quod arguitur: *Sed ne, Minoris* quod arguit.

(2) Agrar. 2. *Quæ cùm omnibus est difficilis, & mala ratio; tum verò mihi prater cateros. Tum* est nota *Majoris* quod arguitur. *Cùm Minoris* quod arguit.

(3) Phil. 9. *Omnes ex omni ætate, qui in hac civitate intelligentiam juris habuerunt, si vnum in locum conferantur, cum Serv. Sulpitio non sunt conferendi.* Pro Muræna. *Quod enim fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum; quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum?* Amplificantur hìc perturbationes comitiorum è loco Minorum: Freta non habent tot, tantas, tam varias agitationes fluctuum. Nam *tot, tantus, tam* Notæ sunt

Parium:

Parium: & Parium negatio (siquidem † Interrogatio instantis negationis vim habet) nota est Minoris. (4) Trist. 3. † v. Rhet: l. 1. c. 34.

Savior es tristi Busiride, savior illo,
Qui falsum lento torrust igne bovem.

Hic Grammatica comparatio pertinet ad Maledicum, qui arguitur: & Busiris, cum Phalaride, argumentum est minus. Atque hæc exempla sunt Explicationis. Probationis est. Remed l. 1.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec sitiens ora levabis aquâ:
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

Hic etiam, vt suprà, in exemplo Majoris. Assumptio exprimitur & Complexio: vnde Propositio hæc elicitur: *Si pro corpore quidvis grave patiare, multo magis pro animo, qua pars est pretiosior:* Ass: *At, vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes, arida nec sitiens ora levabis aquâ:* Comp: *Ergo vt valeas animo quicquam tolerare negabis?*

§ 4. ¶ 2. *De Comp. in qual.*

Comparata in qualitate sunt Similia & Dissimilia.

Similia sunt, quorum est eadem qualitas. Vti Arist: Metaph: l. 5 c. 15. ὅμοια δὲ οὗτινα μία. *Similia sunt, quorum qualitas est vna.* Verum *non res tota totius rei, necesse est similis sit; sed ad id ipsum, ad quod confertur, similitudinem habeat oportet.* *Similia.* * Heren: l. 4. ¶ 70.

Notæ Similitudinis, quæ vno verbo concluditur, sunt *Similis, Effigies, More, Instar, Tanquam, Sicuti,* & negatio Dissimilitudinis, *Haud secus, Non aliter.* Phil. 9. *Quanquam nullum monumentum clarius S. Sulpitius relinquere potuit, quàm effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij, [filium.]* Trist. l. 1. *Similitudo contracta.*

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest.

Hoc est, Sicut Achilles, qui Telephum vulneravit, eundem sanare solus potuit; ita solus Cæsar, qui Ovidium in exilium misit, eundem potest revocare.

Explicata Similitudo est vel disjuncta, vel continua. *Explicata.*

Disjuncta est, quę terminos quatuor re ipsâ distinctos habet. Eclog. 5 *Disjuncta.*

Tale tuum carmen nobis divine poeta;
Quale sopor fessis in gramine.

Carmen ad *auditorem*, vt *sopor* ad *fessum*, termini 4 distincti sunt; Cic: Philip: 2. *Vt quidam morbo & sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt; sic libidinosi, avari, facinorosi, vera laudis gustum non habent.*

Aliquando nota nulla est: Eclog: 2.

O formose puer nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Continua Similitudo est, quando est, vt primus terminus ad secundũ, sic secundus ad tertium. De legib. l. 3. *Vt Magistratibus leges, ita populo præsunt Magistratus.* Hic termini sunt tres, *lex, magistratus, populus.* *Continua.*

Quanta sit hujus Argumenti vis indicat Quint: l. 5. c. 11. *Proximus*

ximas Exempli vires habet Similitudo. Et Cicero Partit. Vide § 6. ¶ 2. (f)

Dissimilia. Dissimilia sunt, quorum qualitas est diversa. Dissimilitudinis notæ sunt, *Dissimilis, Dispar, Differens, alius, aliter, secus*, & negatio similium. Pro Planc: *Quanquam dissimilis est debitio pecuniæ, & gratiæ.* Hanc Dissimiltudinem ibidem continuò Orator explicat. *Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id quod reddidit: qui debet, is retinet alienum: gratiam autem qui refert, habet; & qui habet, in eo ipso quòd habet, refert.* Agrar: 2. *Alio vultu, alio vocis sono, alio incessu, esse meditabatur.* Loquitur Orator de Rullo, qui novo suo Tribunatu superbiens, mutatum animum, mutato externo habitu, indicari voluit.

Nota plerùnq; nulla est: & Dissimilitudo pleniùs explicatur. Quint: l. 5. c. 11. *Brutus occidit liberos proditionem molientes; Manlius virtutem filij morte mulctavit.*

Catullus.

Soles occidere & redire possunt:
Nobis, cùm semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

C. 2. § 5. De Ortis.

¶ 1. *De Definitione.*

ORTA. HVc usque argumenta prima fuerunt. Orta sunt Definitio, & Distributio.

☞ *Conjugata.* De Conjugatis, quæ hìc primum locum obtinebant, varia est Rhetorum sententia. Arist. quidē ea in numerum Locorum admisit. Topic: l. 2. c. 9. vbi sic definit, *σύστοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ὄντα. οἷον δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως.* Cicero, magistrum secutus, hanc finitionem sic reddit, & explanat Top. ¶ 10. *Conjugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab vno variè commutantur: vt sapiens, sapienter, sapientia. Hæc verborum conjugatio συζυγία dicitur: ex qua hujusmodi est argumentum. Si compascuus ager est, jus est compascere.* At Quintil: vsum hujus Loci quærens, quem non invenit, Locum ipsum, vt prorsus invtilē, respuit, l. 5. c. 10. *His* (inquit) *illud adjicere ridiculum putarem, nisi eo Cicero vteretur, quod* Conjugata *vocant: vt eos qui rem justam faciunt, justè facere. Quod compascuum est, compascere licere.* Et Talæus in locum ait, *Categoria primi derivati argumenti, tota nominalis est.* Quanquam sub nomine argumentum aliquod, [putà Causa, effectum, Subjectū, adjunctum] aliquando lateat. Sed, iis in proprios locos relegatis, nomina ipsa variè commutata, à Figuris Rhetoricis excipientur.

Notatio. Notationem, quæ Conjugatis hìc conjuncta erat, Definitionis Locus videtur vendicare: cùm non tantùm sit & dicatur definitio nominis; sed etiam in nomine definiendo, non nihil sæpe de rei natura

aperiat:

aperiat: (vt in exemplis patet) ideoque ei Definitionis definitio conveniat: vt diſertè docet Ariſtoteles Demonſt: l. 2. *Quoniam autem Definitio vocatur oratio, quid quaque rei ſit declarans; hinc profectò planum eſt, genus quoddam eſſe Definitionis, quo explicatur qua ſit cujuſque vocabuli ſignificatio: aut ſi brevius appellare libet, nominis notatio: cujuſmodi eſt oratio, quâ docetur, qua ſit vis ac ſignificatio hujus verbi* Triangulus: [ſc: tres habens angulos:] cui ſi præponas genus, [Figura] vera conficitur Trianguli Definitio. Notatio autem ipſa cum Definito non reciprocatur. Quàmvis enim omnis Triangulus tres habeat angulos; non tamen quicquid tres habet angulos eſt Triangulus. Cùm hoc etiam de corpore triangulari verè dici poſſit. Et licèt quicquid eſt Pyropus, flammas imitatur; non tamen quicquid flammas imitatur, eſt Pyropus. Et ſic de cæteris.

Definitio eſt oratio, quæ id quod definitur explicat quid ſit. C: Top: ¶ 25. ſicut Ariſtoteles, & loco ſuprà citato, & Topic: l. 1. c. 4. *Definitio.*

Eſt autem Definitio vel *Nominis*, [quæ Notatio dicitur;] vel *Rei*. Notatio eſt Nominis interpretatio, quæ rei etiam naturam quadantenus (licèt non reciprocè) declarat: vti Socrates in Cratylo: *Nomen rerum ſubſtantiam docendi diſcernendique inſtrumentum eſt.* Et poſteà, *Rectam dicimus nominis rationem, qua qualis quaq; res ſit oſtendit. Oportet enim vt nominum inſtitutor, nomen naturâ rebus ſingulis aptum, in vocibus & ſyllabis exprimat. Sed hoc imprimis circa nomina animadvertere decet, quòd ſæpe literas addimus, ſæpe etiam demimus, pro arbitrio.* Et, † *multa verba literis commutatis ſunt interpolata.* Vt Faſt: 6. *Notatio.* † Varro l. 4.

Stat vi terra ſuâ, vi ſtando Veſta vocatur:
At focus à flammis, & quòd fovet omnia, dictus.

Et Verr: l. 2. O * *Verrea præclara! Quò enim acceſiſti, quò non attuleris tecum iſtum diem! Etenim quam tu domum, quam urbem adiiſti, quod ſanum denique, quod non everſum atque exterſum reliqueris? Quare appellentur ſanè iſta Verrea, quæ non ex nomine, ſed ex moribus naturâque tuâ, conſtituta eſſe videantur.* Item Met. 2. * Verres in Sicilia Prætor *Mercellia* [diem Marcello feſtum] ſuſtulit, & pro iis *Verrea* reposuit. ibid.

Clara micante auro, flammaſque imitante Pyropo.

Fit etiam Notatio à contrariis, ſive per Antiphraſin: *vt Lucus, quia umbrâ opacus parum luceat. Ludus quia longiſſimè abeſt à luſu.* Quint: l. 1. c. 6. Sic *Bellum*, quia minimè bellum. *Mons* quia minimè movet. Qualia multa Ironicè fingi poſſunt.

De Notationis & vſu, & nomine, ſic Tullius Top: ¶ 27. *Multa etiam ex Notatione ſumuntur. Ea autem eſt, cùm ex vi nominis argumentum elicitur: quam Græci ἐτυμολογίαν vocant: id eſt, verbum ex verbo, veriloquium. Nos autem, novitatem verbi non ſatis aptè fugientes, genus hoc* Notationem *appellamus; quia ſunt verba rerum nota. Itaque hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat, quod Latinè eſt nota. Sed cùm intelligitur quid ſignificetur; minus laborandum eſt de nomine. Multa igitur, in diſputando, Notatione eliciuntur ex verbo: vt cùm quæritur,* Poſtliminium *quid ſit, & verbum ipſum notatur; Scævola filius junctum putat eſſe verbum: vt ſit in eo* Poſt & Limen: *vt quæ à nobis alienata* *Notationis vſus non eximius.* *Poſtliminium quid.*

alienata sunt, cùm ad hostem perverint, & ex suo tanquam limine exierint; dein, cùm redierint post ad idem limen, Post-liminio *videantur redyisse.*

Definitio rei. Definitio rei est, quę reciprocè de definito dicitur, & naturā ejus explicat. Sic Arist: Top: l. 1. c. 7. Ejus Partes sunt *Genus* & *Differentia*: vt idem l. 6. c. 1. *Qui definit rem, debet ad Genus Differentiam adjungere.*

Differentia quid. Differentia est per quam definitum à reliquis ejusdem generis speciebus differt. Desumitur autem ex variis argumentorum locis: tum primariis, [Formā, Fine, Proprio adjuncto;] tum secundariis, [adjunctis communibus, subjectis, effectis, partibus, similibus, contrariis, &c.]

Definitio perfecta & imperfecta. Definitio rei est vel Perfecta vel imperfecta: illa propriè Definitio, Hæc Descriptio, vt superior illa Notatio, dicitur. Definitio perfecta constat ex genere & formali Differentia. Vt, *Homo est animal rationale.* Sed quia hujusmodi differentia adeo cognitu difficilis est, vt vix, aut ne vix, de vlla, præter *Rationale*, constet; ejus vicem aliud primarium argumentum [Finis nempe aut Proprium adjunctum] suppleat: Finis, vt, in definitionibus artium, *Grammatica est ars bene loquendi. Musica est ars bene canendi*, &c. Proprium adjunctum, vt, *Magnes est lapis attrahens ferrum.* Ciceto in Partit: ¶ 38: has tres Primarias Differentias *Definitio perf.* sub vno *Proprietatis* nomine videtur comprehendere: quo in loco tres simul meminit Definitionis modos. *Definitio* (inquit) *Genere declaratur & Proprietate quadam; aut etiam communium frequentiâ, ex quibus Proprium quid sit eluceat. Sed quoniam de Proprijs oritur plerumque magna dissentio; definiendum est sæpe ex alijs argumentis. Quamobrem Descriptiones quoque sunt in hoc genere: imprimisque commovet Explicatio vocabuli ac nominis.*

Descriptio. Descriptio est Definitio secundariis differentiis rem definiens. Vt, *homo est animal bipes implume: Ignis est elementum calidum & siccum:* Differentia est ex communibus adjunctis. *Febris est calor præter naturam accensus in corde*, est à Subjecto. Ex Effectis est differentia in Descriptione Gloriæ: Pro Milone. *Amplissimum est virtutis præmium* Gloria. *Quæ una brevitatem vitæ posterioris memoriâ consolatur: quæ efficit vt absentes adsimus, mortui vivamus: cujus denique gradibus homines in cœlum videantur ascendere.* Ex Partibus *vt si quis jus civile dicat id esse, quod in legibus, senatus-consultis, rebus judicatis, Iurisperitorum authoritate, edictis magistratuum, more æquitate, consistat.* Top: ¶ 26. A Similibus, vt, *si quis adolescentiam florem ætatis, senectutem occasum vitæ, velit definire.* ibidem. Et Amor: l. 2.

Stulte quid est somnus, gelida nisi mortis imago?

A Contrariis, vt, *Maritus est qui vxorem habet, vxor quæ maritum. Brutum est animal irrationale.*

Aliquando varia miscentur argumenta: vt in illa *Fama* descriptione Æn. 4. *Fama malum, quo non aliud velocius vllum.* &c. Vbi ea copiosè describitur à genere, à comparatis, ab adjunctis variis, & effectis, à causa, à partibus, à paribus.

Tales sunt Descriptiones Plantarum, animalium, in Phhysicis: item

item fluminum, montium, vrbium, in Geographia, & Hiſtorijs.

Definitio debet eſſe brevis, & dilucida: vt docent Philoſophus & Orator: *Definitio eſt earum rerum, quæ ſunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis & circumſcripta quadam explicatio.* Orat. lib. 1. *Debet is, qui rem definit, quàm poteſt apertiſſimâ interpretatione uti: quandoquidem cognoſcenda rei cauſâ traditur Definitio: nec amplius quàm neceſſe erit, in Definitione ponet.* Ariſt. Top. lib. 6. c. 1. Hæc eſt enim illa mediocris brevitas, quam intelligit Quintilianus: *Nos brevitatem in hoc ponimus, non vt minus, ſed ne plus dicatur, quàm oporteat.* l. 4. c. 2.

§ 5. ¶ 2. *De Diſtributione.*

Diſtributio eſt vnius in plura diductio. Eſtque vel Nominis Ambigui in ſua ſignificata, quæ *Diſtinctio* dicitur; vel totius in partes. *Diſtributio. Diſtinctio.*

(a) Ambiguum eſt, quando vox eadem plures habet ſententias. Eſt autem ambiguum, vel in voce ſingulari, vel in conjuncta: Singulari, vel propria, quæ res plures propriè ſignificat, vt (b) *grus*, (c) *acutus*, (d) *oportet*; vel modificata, quæ rem vnam propriè, alteram per Tropum, ſignificat, vt *Cor, Pubes, Mucro, Paricida.* Ambiguum in voce conjunctâ eſt, cujus partes *ſola*, ſunt ſimplicis; *conjuncta*, multiplicis ſignificationis: vt * *Lachetem audivi percuſſiſſe Demeam.* (e) *Ambiguum.*

* Q. l. 7. c. 9.

Diſtributio Totius in Partes, quæ ſuis aut Nominibus, aut Differentijs, diſtinguûtur, eſt vel (f) Partitio, vel (g) Diviſio. Partitio eſt Diſtributio Integri in (h) Membra. Sic Grammatica in Etymologiam & Syntaxin, Rhetorica in Elocutionem & Pronunciationem, (i) Prudentia in Memoriam Intelligentiam & Providentiam, diſtribuitur: vbi Membra ſuis Nominibus notantur. Pro Muræna. *Intelligo* (*judices*) *tres accuſationis partes fuiſſe: & earum vnam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus, eſſe verſatam.* Hic Accuſationis Membra notantur Differentijs à materia ſumptis. *Partitio.*

Catull.
Virginitas non tota tua eſt; ex parte parentum eſt:
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus,
Qui genero ſua jura ſimul cum dote dederunt.

Hic partium Differentiæ ſumuntur è Subjectis. Cæſar l. 1. Belli Gallici. *Gallia eſt omnis diviſa in partes tres: quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipſorum linguâ Celtæ, noſtrâ Galli appellantur.* Atq; hìc Partes non Nominibus, ſed Differentijs à loco Adjunctorum petitis, diſtinguuntur.

Diviſio eſt Diſtributio Generis in (k) Species. Sic *Ius dividitur in Legem, Morem, AEquitatem.* C. Top. ¶ 26. Vide (h) (i) in § 6. ¶ 1. Sic *Animal in hominem & brutum.* Vtrobique Species ſuis Nominibus notantur, Sic etiam *animalium alind rationale alind irrationale.* Hic Spe- *Diviſio.*

cies notantur Differentijs formarum: item *aliud loquens aliud mutum*: vbi Differentiæ ex Proprijs existunt. Sic, de Senectute. In navigando, *Alij malos scandunt; alij per foros cursitant; alij sentinam exhauriunt: gubernator clavum tenens in puppi, non facit ea quæ juvenes; at verò multò majora & meliora facit.* Hic Differunt Nautarum species ex effectis. Sic Met. l. 1.

Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cœleste solum formaque Deorum:
Cesserunt nitidis habitanda piscibus vnda:
Terra feras cepit: volucres agitabilis aer;
Sanctius his animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc; & quod dominari in cætera posset:
Natus homo est.

Vbi quinque, quas facit Poëta, animalis species, tum ex nominibus, tum ex Differentijs, distinguit. Differentiæ autem quatuor priorum sumuntur è subjectis, [*Locus*:] quintæ è *forma*, [sc. *Divinâ mente*] & proprio adjuncto: [*quod dominari in cætera possit.*] (l)

Ad § 5. ¶ 2.

Ambigui origo. Distinctionis vsus.

(a) Ambigui causam ostendit Arist. Elench. c. 1. *Verborum certus est ac definitus numerus; rerum infinitus: vnde efficitur, vt, vnâ oratione aut nomine, multas res significari sit necesse.* Distinctionis itaque vsus est, vt, sublatâ ambiguitate, quid sit id de quo dicitur, constet. Vt Idem d. l. c. 14. demonstrat. *Nam si incertum sit quot modis id, de quo agitur, dicatur; fieri potest vt is qui respondet, & is qui interrogat, non eòdem animi sensum referat, & intelligentiam: at si explicata sit ambiguitas, & is qui rem proponit ad disputandum, suum animi sensum de re ipsa exprimat; profectò ridiculus sit is qui rogat, nisi eòdem omnem conferat convertatque orationem.*

(b) *Grus.* Top l. 1. c. 13. *Cùm rem & machinam significat: eorum enim varia est Definitio & ratio.*

(c) *Acutus*: D. l. c. 12. *Ei quod* acutum *est, in voce, contrarium est* grave: *in magnitudine*, obtusum. *Perspicuum est igitur id multis modis dici, quod acuto contrarium est: quòd si hoc ejus quod acutum est: quoniam non idem* acutum, obtuso *&* gravi, *contrarium erit.*

(d) *Oportet*: Idem Elench. c. 3. *Quod quemque facere oportet, id bonum est: sæpe autem usu venit, vt mala nos subire oporteat: malum igitur aliquod bonum est.* Oportere *duobus modis accipi potest, vno modo pro eo quod necessarium est: quæ significatio ad mala sæpe pertinet: (sunt enim quæ licèt mala sint, nobis tamen necessariò subeunda sunt.) Altero modo, quod bonum est officioque consentaneum, hoc verbo intelligitur.* Vt apud Græcè, sic *Oportet* Latinè. vide (c) in notis ad cap. 14. Syngen.

Tria Ambigui genera.

(e) Tres hosce πολυσήμους seu ambigui modos docet Arist. Elench. c. 3. *Sunt autem tres potissimùm modi, quibus omnis homonymia & amphibolia continetur. Vnus est, quando vocabulum propriè ac per se multa*

multa significat; vt aquila, canis: alter est, quando ex vsu loquendi multiplicitas nascitur: tertius, cùm verba conjuncta multis modis accipi, possunt, separata verò simplicem habent significationem: quale est illud, Scire literas. *Aut enim significat ipsas literas scientia capaces esse; aut literarum cognitionem habere alterum.* Talia sunt, quæ feruntur, Apollinis Oracula:

Croesus Halyn penitrans magnam pervertet opum vim. Et

Aio te Æacida Romanos vincere posse. Quæ ambiguè à vafra Sacerdote consultò edebantur; vt futuri præscia & veridica, quicquid eveniret, videretur. Sive enim Cyri, sive suam vim pervertat Croesus; Sive Pyrrhus Romanos, sive Romani Pyrrhum vincant; verax semper erit Pythiæ responsum. Cujus technas salsè detegit, callidâ Pythiâ ipse callidior Cicero. Vide locum in l. 2. de Divinatione.

(f)(g) C. Top ¶ 26. *Quanquam vocabula* Partitio *&* Divisio *propè idem valere videantur; tamen quia res differebant; nomina rerum distare voluerunt.* Sed Distinctio hæc aliquando non curiosè observatur.

(h) (k) Ibidem. *In partitione quasi membra sunt: vt* Corporis, *caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, &c. In Divisione * forma sunt, quas Græci ἰδέας vocant: nostri, siqui hæc fortè tractant, species appellant &c. Forma igitur sunt hæ, in quas Genus, sine vllius prætermissione, dividitur.* Et mox, *In Divisione vitiosum est prætermittere aliquid. Formarum enim certus est numerus, quæ cuique Generi subjiciantur: Partium distributio sæpe est infinitior. Non est autem vitiosum in re infinitâ prætermittere aliquid.*

* Cur Cicero formas quàm species mavult, ratio ibidem redditur.

(i) Invent. l. 2. ¶ 35. Vbi *Prudentia* definitur, *rerum bonarum, & malarum, & vtrarumque scientia: Memoria, per quam animus repetit illa quæ fuerunt: Intelligentia, per quam ea perspicit quæ sunt: Providentia, per quã futurum aliquid videtur, antequam factum sit.*

(k) *Species.* vide (h)

(l) Cicero Invent. l. 2. ¶ 35 virtutem dividit in quatuor species: *Prudentiam, Iustitiã, Fortitudinẽ, Temperantiã:* quas ibi nominibus notatas, lib. 1. Offic. Obiectis *seu* Subjectis occupantibus distinguit. *Omne quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri, solertiâque versatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelsi atque invicti magnitudine, ac robore; aut in omnium, quæ fiunt quæque dicuntur, ordine & modo.*

Arist. Pol. l. 4. c. 3 Cives in tres species distribuit, quæ differentias suas habent ab adjunctis. *Ex civibus alij divites, alij pauperes, alij medij*

Vt Diductio totius in partes *Distributio*; sic collectio partium ad constituendum totum *Inductio* dicitur.

Inductio.

Quoniam verò tantò accuratior est Divisio, quantò partium inter se major dissentio; ideo erit illa accuratissima, cuius partes Differentias

Partium in dividendo numerus.

Dichotomia.

tias habent contrarias ſine medio. Sic enim fiet illa perfecta διχοτομία tantopere laudata. Nam *genus* (vt loquitur Ariſtoteles) *vniverſum, in partibus Diviſionis neceſſariò continetur, ſi partes in eo contrariorum genere ſint, quibus nil interjectum eſt.* Demonſt: l. 2. c. 14. Huiuſmodi autem Diviſio, non, quòd ſit præſtantiſſima, ideo eſt ineptè vbique affectanda: ſed ſi binarius hic partium numerus commodè haberi non poteſt; binario quàm proximus tenendus eſt. Vti Socratem docet * Zeno. *Nôſti quàm difficile ſit dividere bifariam. Membratim igitur, inſtar victimæ, dividamus; quando bifariam non poſſumus. Oportet autem in quàm proximum fieri poterit numerum ſemper dividere.*

* Plato in Regno.

Membrorum numerus fere maior eſt: itaque in Partitione Dichotomia rarior: eam tamen Ramus in *Artibus* non tam affectâſſe, quàm effeciſſe videtur.

C. 2. § 6. De Arg. Inartificialibus.

¶ 1. *De Teſtimonio.*

INARTIFICIALE.

ARgumenta Artificialia fuerunt in primis & ortis. (a) Inartificiale eſt, quod non ſuâ naturâ, ſed (b) aſſumptâ artificialis alicujus argumenti vi, arguit. Argumentum Inartificiale, eſt vel Teſtimonium, vel Exemplum.

Teſtimonium,

Teſtimonium eſt, quod de rei alicujus veritate, verbis aut (c) ſignis, fidem facit. Eſtque (d) vel Divinum, vel humanum.

Teſtimonium Divinum eſt, quod Deum authorem habet: (e) qualia ſunt ipſius Dei Oracula, & Prophetarum vaticinia.

Teſtimonium humanum eſt (f) Commune vel Proprium. Commune, vt Ius & Gnome [ſeu illuſtris Sententia.]

Ius, (g) quòd juſtè & injuſtè facta teſtatur, eſt (h) vel commune omnium, vel gentis alicujus proprium: & hoc vel ſcriptum, vt Leges; vel non ſcriptum, vt Æquitas, & (i) Conſuetudo.

(k) Gnome [ſeu * Sententia] eſt oratio ſumpta de vita, quæ, aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breviter oſtendit. Hujuſmodi ſunt (l) Proverbia & (m) Apophthegmata [ſeu dicta ſapientum] præſertim quæ (n) communi conſenſu comprobantur.

* Heren. l. 4. ¶ 24.

Teſtimonium Proprium eſt tum in Cauſis, tum in Diſciplinis: cujus (o) authoritas ſcientiâ & virtute teſtantis nititur: ſed (p) hac in illis, (q) illâ in his magis.

In Cauſis eſt, de futuris, (r) Sponſio; de præteritis, Confeſſio.

Confeſſio eſt vel (ſ) libera, vel (t) neceſſitate expreſſa: Et libera ſimplex, vel (v) cum jure-jurando.

In diſciplinis ſunt Præceptiones & regulæ Artium, (x) placita Philoſophorum, & (y) numeroſæ Poëtarum Sententiæ.

Ad c. 2. § 6. ¶ 1.

(a) *Inartific.* Hujus nominis rationem explicat Cicero in Partit.

¶ 44.

¶ 44. C.F. *Quid illa, quæ sine arte appellantur, quæ jamdudum Assumpta dixisti, ecquonam modo, ecquonam loco, artis indigent?* P *Illa verò indigent: nec eò dicuntur sine arte, quòd ita sunt; sed quòd ea non parit Oratoris ars: sed foris ad se delata, tamen arte tractat, & maximè in Testibus.* Quo respectu secus, quàm suprà, definitur, & à Cicerone, (sub nomine Testimonii) Top: ¶ 39. *Testimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua re externâ sumitur, ad faciendam fidem;* & ab Aristotele Theod: l. 1 c. 2. *Inartificialia appello, quæ non à nobis excogitantur, sed in causa extiterunt prius, & sponte suppetunt, vt Testes, Scripta: Artificialia verò quæ ratione ac viâ à nobis excogitari possunt. Itaque ipsorum* * *aliis vti oportet,* † *alia etiam invenire.* Vide ¶ 1. Sed cùm sic definitum ad Causas tantùm pertineat; Argumentum verò Logicum latiùs pateat, & ad alias res quascunque extendatur; rectè Ramus generalius definit, *Inartificiale id esse quod non suâ naturâ, sed assumptâ Artificialis alicujus argumenti vi, arguit.*

* i. Inartif.
† i. Artif.

(b) *Assumpta.* Neque enim aut Dictis & signis Testimonium, aut Factis Exemplum fidem facit, nisi alicujus argumenti artificialis ope, [vtpote Causæ, Effecti, Generis, Speciei, Subjecti, Adjuncti, Similis, Dissimilis, Contrarii] sublevetur.

(c) *Signis.* Testimonia quædam, cùm divina, tum humana, Signis & indiciis quibusdam perhibentur. Quibus etiam potiorem vim quàm verbis rectè adscribit Poëta.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus:——.

Talia sunt Portenta, & Somnia quædam, quæ Conjectores interpretantur: item Sortes, Augurium Haruspicium. De quibus omnibus vide libros de Divinatione. Sic Ceremoniæ, & Sacrificia, Testimonia erant voluntatis Dei in populum suum, & vicissim fidei ac obedientiæ populi in promissiones, & mandata Dei. Sic mira Dei opera testimonia sunt potentiæ, sapientiæ, & bonitatis ejus erga genus humanum. Sicuti bellè distinguit Orator, * *Divina hæc fere sunt Testimonia, primùm Orationis; (Oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his Deorum Oratio) deinde rerum in quibus insunt quasi opera divina quædam: primùm ipse mundus, ejusque omnis ordo & ornatus; deinceps aërei volatus avium, atq; cantus; deinde ejusdem aëris sonitus & ardores; multarumq; rerum in terra portenta; atq; etiam per Exta inventa præsensio; dormientibus quoq; multa significata visis: quibus ex locis sumi interdũ solent, ad fidem faciendã, testimonia Deorũ.*

* Top: ¶ 41.

Hujusmodi Testimonia sunt gestus & ritus hominum: † est enim actio quasi sermo corporis: de quo Socrates in Cratylo, *Si voce & linguâ caruissemus, voluissemusq; res invicẽ declarare; nonne, perinde ac nunc muti, manibus, capiteque & cæteris membris significare tentavissemus?* Tale fuisse Pyrami & Thisbes colloquium memorat Poëta Met. 4. ——— *Nutu signisque loquuntur.* Sic Chirotoniâ, [i. elevatione manuum] Græci suffragia ferebant: quem ritum valde elevat Orator. * *Sic sunt expressa ista præclara, quæ recitantur,*

† Orat: l. 3. ad finem.

* Pro Flacco.

 psephi-

psephismata, non sententijs, neque authoritatibus declarata, nec jurejurando constricta; sed porrigendi manu, profundendoq; clamore multitudinis, concitata. Sic † *Tarquinius eminentia papaverum capita virgulâ decutiens, interficiendos esse, Gabiorum principes significavit.*

† Florus l. 1. c. 7.

Sed interdum cum Signis conjungitur signorum interpretatio: vt in quibusdam vaticiniis; vt, apud nos, in conjugio & agri venundatione: vbi, cùm annuli & glebæ traditione, junguntur verba sensum explicantia.

(d) (e) Partit. ¶ 14. *Testimoniorum genera sunt Divinum & Humanum. Divinum, vt Oracula & Auspicia; vt vaticinationes, & responsa sacerdotum, haruspicum, conjectorum.* Et in fine l. 2. De natura deorum, *Multa cernunt haruspices, multa augures provident, multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa somnijs, multa portentis: quibus cognitis, multa sæpe res, ex hominum sententia atque vtilitate, parta; multa etiam pericula depulsa sunt.* Quæ gentium superstitiones verenda veri Dei mysteria ita videntur imitari; ac si quæ sacris erant tradita literis, Romani à Græcis, Græci ab Ægyptiis, Ægyptii à Iudæis, didicissent; quæ poste à pravis quibusdam & immutationibus, & additamentis contaminata, Idolis suis [Diis nomine, re Diabolis,] attribuerunt. Adeo vt quod soli Deo competere docent sacræ literæ, Pythium Apollinem de se dicere fingat Ennius:

* Orat: l. 1.

——————* *Is ego sum,*
Vnde sibi populi & reges consilium expetant,
Suarum rerum incerti: quos ego meâ ope ex
Incertis certos, compotesque consili
Dimitto, vt ne restemerè tractent turbidas.

(e) Immediata Dei Oracula variis modis edebantur: vt, quasi per humanam vocem, per somnia, per visiones, per Ephod, per sortes: Mediata per voces & scripta Vatum.

Argumenta artificialia, quorum vi arguit Testimonium Divinum, vide (o) infrà.

(f) *Commune.* Hìc in authorem animadvertitur, ex lege scilicet καθόλου πρότου, quòd Testimonii humani divisionem faciat, in Commune, & Proprium; cùm sint Leges etiam, & Sententiæ, divinæ: vnde sequitur distributionem hanc debere esse Testimonii in genere. Sed animadversor non animadvertit, Leges has & sententias non magis communes esse, quàm reliqua divina Testimonia; cùm sint omnia pariter vnius Dei. Sin Communes ideo dici vult, quòd communi consensu recipiantur; sic etiam sese habent cætera quævis Dei oracula.

(g) Legib: l. 2. ¶ 30. *Ius est justorum, injustorumq; distinctio.* Vnde † *Iuris-prudentia* definitur *justi atque injusti scientia.*

† Instit: l. 1. Tit. 1 leg. 2.

(h) *Vel com:* Theod: l. 1. c. 13. *Ius dico aliud proprium esse, aliud commune. Proprium quidem quod singulis inter se ipsis determinatum est: & hoc aliud scriptum, aliud non.* * *Commune verò quod secundùm naturā est: est enim quoddā naturâ justum, quòd omnes vaticinantur,*

* *Ius naturæ.*

etiamsi

etiamſi nulla inter ſe ſocietas & pactio ſit. Proprium non ſcriptum, eſt æquum & bonum: æquum enim & bonum eſt, quod præter legem ſcriptam eſt. Proprium ſcriptum eſt Lex. *Lex enim eſt communis civitatis conſenſus, qui ſcripto præceperit, quomodo vnumquodque agendũ eſt.* Alex. c. 1. & 2. Sic item Tullius † *Populariter loquendo appellamus eam legem, quæ ſcripto ſancit quod vult, aut jubendo aut vetando.*

Æquitas. Lex. † De legib: l. 1.

(i) Conſuetudinem, quam Philoſophus ſuprà *æquo & bono* complectitur, ſic definit * Orator. *Conſuetudinis autem jus eſſe putatur id, quod voluntate omnium, ſine lege, vetuſtas comprobârit. Cujus generis eſt pactum: Pactum autem eſt, quod inter aliquos convenit: quod ſanxita juſtum putatur, vt Legi præſtare dicatur.*

Conſuetudo. * Invent. l. 2. ¶ 13. Pactum.

(h) (i) Iuris Diviſionem ff. l. 1. tit. 1. leg. 9. ſic proponit Gaius. *Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure, vtuntur. Nam quod quiſque populus ipſe ſibi jus conſtituit, id ipſius proprium civitatis eſt, vocaturque jus civile: quod verò naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peraquè cuſtoditur, vocaturque jus gentium.*

Iuris partes.

Commune autem *naturæ* ſeu gentium jus ſic definit & diſtribuit Orator, Invent. l. 2. ¶ 13. "Ac Naturæ quidem jus eſt, quòd nobis non opinio, ſed quædam innata vis afferat: vt Religionem, Pietatem, Gratiam, Vindicationem, Obſervantiam, Veritatem. *Religionem*, eam quæ in metu, & ceremoniâ Deorum ſit, appellant. *Pietatem*, quæ erga patriam, aut parentes, aut alios ſanguine conjunctos, officium conſervare moneat. *Gratiam*, quæ in memoria & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum, ſita eſt. *Vindicationem*, per quam, vim & contumeliam, defendendo aut vlciſcendo, propulſamus à nobis, & à noſtris, qui nobis eſſe chari debent; & per quam peccata punimus. *Obſervantiam*, per quam ætate, aut ſapientiâ, aut honore, aut aliquâ dignitate antecedentes reveremur & colimus. *Veritatem*, per quam damus operam, nequid aliter quàm affirmaverimus, fiat, aut factum, aut futurum ſit.

Ius proprium.

Ius verò civile [*ſive proprium*] (*inquit Idem in Topicis* ¶ 6.) eſt "æquitas conſtituta iis, qui ejuſdem civitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas: cujus finis (*ait* † *Craſſus*) eſt legitimæ atque vſitatæ, in rebus cauſiſque civium, æquabilitatis conſervatio.

† Orat: l. 1.

Sed queritur * Orator, *Cùm permulta præclarè legibus eſſent conſtituta, ea Iuriſconſultorum ingenijs pleraque corrupta eſſe.* Pauci Servium illum Sulpicium imitantur. † *Neque enim ille magis* Iuris *conſultus, quàm* juſtitiæ *fuit. Itaque quæ proficiſcebantur à legibus, & à jure civili, ſemper ad facilitatem, æquitatemque referebat: neq; conſtituere litium actiones malebat, quàm controverſias tollere.*

* Pro Murena. † Phil: 9.

O beatam ergo tem-p: in qua florent Sulpicii! Imò beatos potiùs ipſos Sulpicios, qui ſic beant rempublicã! qui, cùm ad reddendã Actionum ſuarum rationẽ, coram ſupremo tandẽ ſiſtentur judice; non mala quæ potuerunt, ſed bona quæ debuerũt, ſe feciſſe, ipſi ſibi conſcii ſunt.

Iuris propriæ partes.

Septem numerantur in Top: ¶ 26. Iuris Proprii [i. civilis Romanorum]

rum] partes; *Leges, Senatus-consulta, Res judicatæ, Iuris-peritorũ authoritas, Edicta Magistratuum, Mos,* [sive consuetudo] *Æquitas.* Sed mox ibidem omnes tribus comprehendit Orator; Lege, More, Æquitate. *Formæ sunt* (inquit) *in quas Genus, sine vllius prætermissione, dividitur: vt siquis Ius in Legem, Morem, Æquitatem* [sive * Ius Prætorium] *dividat.* Quæ eadem divisio juris hodie nostratis est.

(k) *Gnome*: vt † *Formæ dignitas coloris bonitate tuenda est: color exercitatione corporis.* Et * *Mea mihi conscientia pluris est, quàm omnium sermo.* † *Afferunt autem Orationi vires magnas Sententiæ.*

(l) *Proverb*: vt * *Pares cum paribus facillimè congregantur.* † *Spartam nactus es: hanc exorna.* Σπάρταν ἔλαχες, ταύτην κόσμει.

(m) *Apoph*: vt *NOSCE TEIPSVM, NEQVID NIMIS. SPONDE: PRAESTO EST DETRIMENTVM.* De horum authore Plin: Nat: hist: l.7.c.32. *Rursus mortales Oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis consecrando aureis literis: quæ sunt hæc: Nosce se quenque, & Nihil nimiùm cupere, Comitemque aris alieni atque litis* (quæ sc: fiunt Sponsione) *esse miseriam.* Plato, in Charmide, primũ tribuit Apollini ipsi. Vnde Tullius in fine libri 1. de Legibus. *Hujus præcepti tanta vis, tanta sententia est; vt illud non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur.* Vbi Divina quædam & copiosa sequitur ejusdem expositio. *Nam qui se ipse nôrit, primùm aliquid sentiet se habere divinum; ingeniumque in se suum, sicut simulachrum aliquod dedicatum putabit; tantoque munere Deorum semper dignum aliquid & faciet & sentiet.* &c. De tertio vide (r)

(n) *Sententiæ quæ communes sunt, quasi omnes ita concedant, rectè se habere videntur.* Theod. l.2.c.21. Et Quint. l.5.c.11. *Ea quæ vulgò recepta sunt, velut omnium fiunt: quale est,* Vbi amici ibi opes: *Et,* Conscientia mille testes. *Neque enim durâssent hæc in æternum, nisi vera omnibus viderentur.*

(o) *Authoritas.* Top: ¶ 39. & 40. " Persona autem non qualis-
" cunq;, Testimonii pondus habet: ad faciendam enim fidem, autho-
" ritas quæritur. Sed authoritatem aut natura aut tempus affert: na-
" turæ authoritas in virtute inest maximè: in tempore autem multa
" sunt quæ afferunt authoritatem: ingenium, opes, ætas, fortuna, ars,
" vsus: Qui enim his rebus excellunt, ipsâ virtute videntur excelle-
" re: Et quanquam nulla species virtutis est; magna tamen est vis,
" ad persuadendum, Scientiæ aut vsus: plerunque enim creditur iis,
" qui experti sunt. *Et mox,* Quos ingenio, quos studio, quos do-
" ctrinâ præditos vident, quorumque vitam constantem & pro-
" batam, [vt Catonis, Lælii, Scipionis] rentur eos tales esse, quales
" se ipsi velint.

Aristoteles prudentiæ sive scientiæ, & virtuti, superaddit Benevolentiam. * *Tria sunt* (inquit) *quæ, præter demonstrationem, fidem faciunt: Prudentia, Virtus, & Benevolentia.* Hæc autem, quamvis

* ff l.1. tit. 1. leg. 7. *quod sc: Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratiâ, propter vtilitatem publicam.*
† Offic. l.1. prope finem.
* Att: l.12. ep. 27.
† Theod. l.2. c.11.
* De Senect:
† Att: l.4 ep.6.
* Theod: l.2. c.1.

quamvis in Laude & Defensione minimè prodest; prodest tamen in earum contrarijs; & omnino in Deliberatione seu Consilijs; nec non in Disciplinis. Hinc perspicitur Divinum Testimonium certum vsquequaque & indubitatum non posse non esse; cùm sit Deus & sapientissimus, & optimus, & amantissimus: imo ipsa Sapientia, Benitas, Charitas; adeoque ipsa Veritas, quæ nec falli, nec fallere potest.

(p) *Hac in illis.* Theod. l. 1. c. 2. *Probis, & magis & facilius de omnibus simpliciter credimus.* Et mox, *Præcipuam mores faciunt fidem.* Et l. 2. c. 22. *Testis probus vel vnus satisfacit.*

(q) *Illa in his.* Arist. Ethic. l. 1. c. 3. *Is in vnaquaque re bene judicat, qui in illa est eruditus: absolutè autem qui est in omnibus eruditus.* Et Cic. Top. ¶ 41. *Ex Poetarum, Oratorum, Historicorum, & Philosophorum dictis, sæpe authoritas petitur ad faciendam fidem.* Quæ testimonia suo ipse confirmat exemplo, qui in sententiæ suæ firmamenta sententias passim citat Ennij Terentij, Isocratis Æschinis, Herodoti Thusididis, Aristotelis & Platonis, quem philosophorum * Deum nuncupat: ac si divina illius scita non minoris faceret, quàm Oracula. Atqui idem † alibi, *Non tam authores in disputando, quàm rationum momenta quærenda sunt.* Scilicet: & si rationis tuæ momenta, authorum vel gravissimorum rationibus, graviora videris; quin secus, quàm illi, sentias, causæ nihil est: sed vide etiam atque etiam, ne inani Rationis specie deceptus, ea tibi videre videare, quæ revera non vides. Credibile enim est, sagaces illos, omnibus vtrinque rationibus saniori judicio pensitatis, illud demum perspexisse, quod hebeti tuo ingenioso adhuc non potest apparere.

* Act. l. 4. Ep. 15.

† Nat. Deor: l. 1.

Sponsio.

(r) Sponsio est vel pecuniæ, vel litis, [quę stipulatio dicitur] vel animi & probitatis. De primo & secundo genere, vide (m) suprà. Tertij exemplum est Phil: 5. *Promitto, recipio, spondeo, P. C., Cæsarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maximè velle & optare debemus.* Et Terent: Eunuch: A. 3, S. 2.

> ——— *Fac periculum in literis,*
> *Fac in palæstra, in Musicis: quæ liberum*
> *Scire æquom est adolescentem, solertem dabo.*

Item Epist. 5. l. 7. ad Cæsarem de Trebatio. Ad Brutum Epist. 18. primi & tertij comparatio est. *Est autem gravior & difficilior animi & sententiæ, maximis præsertim in rebus, pro altero, quam pecuniæ obligatio. Hac enim solvi potest, & est res familiaris jactura tolerabilis: rei-pub: quod spoponderis, quemadmodum solvas; nisi is dependi facilè patietur, pro quo spoponderis?*

Pignus autem Sponsio quædam est: vt Eclog: 3.

> *Vis ergo inter nos, quid possit vterque vicissim,*
> *Experiamur? Ego hanc vitulam, ne forte recuses,*
> *(Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus)*
> *Depono: tu dic mecum quo pignore certes.*

(s) Confessio libera, communi nomine, Testimonium fere dicitur: quod sic ab Arist: definitur: * *Testimonium est rei cognitæ voluntaria*

Confessio.

* Alex. c. 15.

confessio: tanti in controversijs forensibus, vt Testium probatio vulgò anima litis appelletur. *Hujus etiam generis est Fama vulgi, [quoddam multitudinis testimonium.]* C. Top. ¶ 40.

Quæstio. (t) Expressa propriè Quæstio dicitur: quam sic Idem definit,† *Quæstio est invita* [i. tormentis elicita] *hominis confessio.* Tale fuit argumentum contra Milonem, quod ab Oratore, tum ob contradictionem, tum ob minas & promissa, deriderur. *Age verò, quæ erat aut qualis Quæstio? Heus vbi Rusceo? Vbi Casca? Clodium insidias fecit Milon? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas.* De Testimonijs his, & voluntarijs, & coactis, vide plura lib. 1. cap. 5. § 4. (d) & (h) in notis.

† Alex. c. 16.

Jus-jurandum. (v) *Cum jure-jurando.* Alex. c. 17. *Jus-jurandum est, cum obtestatione divinâ, indemonstrabilis affirmatio.* De cujus religione sic Cicero:* *Nullum vinculum ad astringendam fidem Juramento Majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notationes animadversiones Censorum, qui nulla de re diligentiùs, quàm de jure-jurando judicabant.* Exemplum est: Æneid: 6.

* Offic. l. 3.

Per superos, & sequa fides tellure sub imâ est,
Invitus, Regina, tuo de littore cessi.

Et Verr: l. 1. *Probavit fidem, & authoritatem & religionem suam L. Suetius: qui juratus apud vos dixit, multos cives Rom. in latumijs, istius imperio, crudelissimè per vim morte esse mulctatos.*

† Offic. l. 1. * Ad Q. fratrē l. ep. 1. 1. ex l. 5. de Re-pub.

(x) *Placita.* Exemplo sit illud Ciceronis:† *Virtutis laus omnis in actione consistit:* atque illud Platonis, quod meminit Cicero, * *Ille Princeps ingenij & doctrina Plato, tum denique fore beatas res-pub: putavit, si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent; aut qui regerent, omne suum studium in doctrina & sapientia collocâssent.*

(y) *Numerosa.* Quint. l. 5. c. 11. *Sententijs quidem poëtarum non Orationes modò sunt refertæ; sed libri etiam Philosophorum: qui quanquam inferiora omnia præceptis suis ac literis credunt; repetere tamen authoritatem à plurimis versibus non fastidierunt.* Et Cicero Tusc: 2. hujusmodi Testimoniorum vsum similiter commendat. Talia sunt Eunuch. *A. 2. sc. 3. Omnium rerum est vicissitudo.* Et Eclog. 2.

——— *Trahit sua quemque voluptas.* Et Sen. Hippol. 1. 2. *Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.*

§ 6. ¶ 2.
De Exemplo.

Exemplum. (a) Exemplum est argumentum Inartificiale, quod de rei alcujus veritate (b) Facto fidem facit. Est autem (vt testimonium proprium) vel in Causis, quod Simile, vel in Disciplinis, quod Speciale, dicitur: cujus etiā authoritas in authoris (c) scientia & (d) probitate consistit.

(e) In Causis exempla, rebus propositis similia, eadem (f) valde persua-

perſuadent & (g) illuſtrant. Sunt autem (h) vel vera vel ficta.

(i) Specialia exempla ſunt ſelectæ Poëtarum, Oratorum, aliorumve authorum, locutiones, vnde generales Artium & Diſciplinarum regulæ; tum (k) conſtituuntur, tum (l) illuſtrantur.

Ad § 6. ¶ 2.

(a) Ad Heren. l. 4. ¶ 71. *Exemplum eſt alicujus facti, cum certis authoris nomine, Propoſitio.*

(b) *Facto.* Vt Teſtimonium, rem propoſitam Dicto affirmante; ita Exemplum, Facto eam approbante, authoris ſententiâ pariter arguit: vnde illud. * *Exempla Teſtimoniorũ locũ obtinent. Id enim quod admonuerit, & leviter fecerit præceptio, Exẽplo, ſicut teſtimonio, cõprobatur: vt enim Teſtimoniũ, ſic Exemplũ, rei confirmandæ cauſa ſumitur.* Hoc autem ſic definit Orator: † *Exemplũ eſt, quod rem, authoritate aut caſu alicujus hominis aut negotij, confirmat aut infirmat.*

* Ad Heren. l. 4. ¶ 1.

† Invent. l. 1. ¶ 57.

(c) *Scientia.* Ad Heren. l. 4. ¶ 1. *Optima ſunt Exempla, quæ à probatiſſimis Oratoribus, aut Poëtis, ſumpta ſunt.* Et ibidem. *Non oportet Exemplum, niſi à probatiſſimo, ſumi; ne quod aliud confirmare debeat, egeat ipſum confirmatione.*

(d) *Probitate.* In Verrem l. 2. verſus finem. *Exempla proborum hominum, præſertim veterum, plurimum ſolent & authoritatis habere ad probandum, & jucunditatis ad audiendum.* Vbi pulchrè tractat Orator hoc argumentum.

(e) *In Cauſis.* Exemplum Simile, Ariſtoteles Prior. l. 2. c. 24. non minùs acutè, quàm obſcurè definit. *Exemplum eſt, quando Medio extremum ineſſe* [i. de Medio terminum majorem dici] *oſtenditur, per id quod eſt ſimile tertio* [i. minori termino.] Intelligit autem hic Philoſophus tres terminos ſyllogiſmi, Quæſtionem [ſeu axioma de quo quæritur] probantis. Verbi gratiâ. Quæſtio probanda ſit hæc. *Athenienſibus cum Thebanis bellare malum eſt:* Sit Medium, *cũ finitimis bellare:* hinc conficitur hic ſyllogiſmus.

2
Ma: *Cum finitimis bellare malum eſt.*

3
Mi: *Cum Thebanis bellare eſt cum finitimis bel.*

Quæſt: *Cum Thebanis bellare malum eſt.*

Hujus Syllogiſmi majorem terminum medio ineſſe, [1. Majoris propoſitionis veritas] oſtenditur, per *Phocenſes, qui ſunt ſimiles Thebanis* [tertio ſeu minori termino] *in eo quòd vtrique ſint finitimi, Phocenſes Thebanis, vt Thebani Athenienſibus. Nam Thebanorum cum finitimis* [ſc. Phocenſibus] *bellum malum fuiſſe conſtat: vnde ſequitur Athenienſium cum Thebanis ſimiliter malum futurum.* Pergit: *Oportet autẽ & Medium Tertio ineſſe* [i. Thebanos eſſe finitimos] *& primum ineſſe ſimili* [i. cum Phocenſibus bellum eſſe malum] *notius ſit.*

Ad Alex. c. 8. Brevior eſt & apertior. *Exempla ſunt res his quæ facta ſunt*

† l.5.c.11.

sunt similes. Quint: hujusmodi Exemplum definit ex partibus: † *Exemplum est rei gestæ, aut vt gestæ, vtilis ad persuadendum commemoratio.* vide (h)

(f) *Valde persuad:* Partit. ¶ 37. *Maximam facit fidem ad similitudinem veri, primùm Exemplum, deinde introducta res* * *Similitudo:* † *fabula etiam nonnunquam, etsi sit incredibilis, tamen homines commovet.* Et Orat. l. 3. ¶ 31. *Duo illa maximè movent, Similitudo & Exemplum.* Nam * *Quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant.* Sed Exempli maxima vis in Consilijs. Vide lib. 1. cap. 5. § 3. & (d) in notis.

* v.c.2.§ 4.¶ 2.
† 1, Exemp. fictum v. (h)
* Ad Sulpic. Ep. 3. l.4.

(g) *Illustrant.* Top. l. 8. c. 2. *Dilucidam & perspicuam argumentationem facient Exemplum, Similitudinisque collocatio. Exempla autem propria, & ad rem apta esse debent: & ejusmodi, ex quibus res intelligatur: cujusmodi illa sunt, quæ Homerus, non quæ Charillus, commemorat.*

☞

Propter hanc in persuadendo & illustrando præstantiam, Oratorem variâ Exemplorum supellectile instructũ esse vult Quintilianus. † *In primis verò abundare debet Orator Exemplorum copiâ, cùm veterum tum etiam novorum: adeo vt non ea modò quæ conscripta sunt historijs, aut sermonibus velut per manus tradita, quæq; quotidiè aguntur, debeat nosse; verùm ne ea quidem quæ sunt à clarioribus poëtis ficta negligere. Nam illa quidem priora aut testimoniorum, aut etiam judicatorum, obtinent locum: sed hæc quoque aut vetustatis fide tuta sunt; aut ab hominibus magnis præceptorum loco ficta creduntur.*

† l.12.c 4.

(h) *Vel vera.* Theod l.2.c.20. *Exemplorum species duæ sunt: altera, si rerum actarum dicis; altera si ipse fingis. Vt, si quis dicat, oportere apparatum adversus regem fieri, qui faciat ne potiatur AEgypto; Exemplum verum est Darij. Nam si Darius non priùs trajecit, quàm AEgyptum cepit; & cùm cepisset, statim trajecit; is quoque, si ceperit, trajiciet. Quare non est ipsi permittenda AEgyptus. Exemplo ficto vtitur AEsopus: qui, cùm in Samo Demegorum primatem populi, capitis accercitum, defenderet, dixit, Vulpem, cùm fluvium transiret, in foveam decidisse; eique longo ibi tempore, cùm exire non posset, afflictæ multas caninas muscas insedisse: eà transiens aspexit herienis, misertusque rogavit, si vellet vt ab ea caninas muscas evelleret; cumque ipsa negasset, causam, miratus, quærebat. Tunc illa, iam, inquit, hæ saturatæ parum sanguinis trahunt: quòd si has tu excutiès; famescentes venient aliæ, quæ quod mihi sanguinis restat, totum ebibent. Sic igitur, dixit, vobis quoque, viri Samij, nihil jam iste locupletatus officit: si verò hunc interimetis; pauperes alij locum ejus occupabunt, qui civitatis pecuniam facilè furando consumẽt.* (Talis est ille, de ventre & corporis artubus apologus, quo * Menenius Agrippa tumultuantem plebem, è sacro monte in civitatem revocavit.) *Hujusmodi ergo apologi ad populum maximè accomodati sunt*

* Florus l. 1. c.23. Liv. Decad: 1. l.2.

ſunt; habent q; hanc præſtantiã, cùm difficile ſit res præteritas ſimiles invenire, apologos facillimum eſt fingere. Verùm ad Conſultationem † res geſtæ multò vtiliores ſunt. Nam, vt plurimùm, futura præteritis ſimilia ſunt. Deinceps de Exemplorum vi, & loco, *Exemplis igitur, ſiquidem non habeas enthymemata, quaſi demonſtrationibus vtendum: ſi verò habeas; poſt enthymemata. Cùm enim præponuntur, ſimilia Inductionibus ſunt: Inductio autem orationi oratoriæ, præterquàm in paucis, non eſt idonea. Poſtpoſita verò Teſtimonijs aſſimulantur: teſtis autem vbique ad fidem vtilis.* Exempla verò non modò à Similibus; ſed etiam à Contrariis duci dicit Idem ad Alex. c. 8. *Vt ſi ad æquitatem cum ſocijs colendam hortari velis, quòd æquitate amicitia conſervatur; Exemplo ſint, qui iniquè & avarè vſi ſocijs, propterea amicitiam eorum amiſerunt.* Sed ſi rem penitus intuemur; Exemplum hoc non Contrarium, ſed Simile reperietur. Hìc enim Conſilio annectitur Conſilii ratio: quæ quidem ducitur à Contrario, ad hunc modum, Nam ſi non æquabiliter ſociis vſi fuerimus, actum erit de amicitia. Exemplum autem ipſum non eſt *Conſilij*, cui Contrarium eſt; ſed *Rationis*, cujus eſt Simile. Ac ſi ſic argueres, *Conſil:* Æquitas cum ſociis conſervanda eſt, ſi amicitiam cum iis conſervare volumus. *Rat:* Nam qui æquitate non vtuntur, amicitiam & ſocietatem ſolvunt. *Exempl:* vt * Athenienſes Megarenſibus iniquè vtentes, ab iis deſerti ſunt: vnde à Lacedæmoniis, bello Peloponeſiaco, funditus ſunt ſubverſi. Nam Contrarium Exemplum, ſententiam contrariam, non ſimilem confirmat. Vt cùm Cicero Pompeio ſuadens, non deſerendam vrbem adventu Cæſaris, Exemplum vrgeret ſimile † Periclis, qui, cùm Peloponeſii in agrum Atticum irruptionem facerent, Athenas non reliquit. Pompeius contrà ad contrariam ſuam ſententiam comprobandam, contrario vtitur Exemplo * Themiſtoclis, qui vrbem deſerens adventu Xerxis, infinitam Parſarum multitudinem ad Salaminam fudit. Locus eſt ad Attic: l. 7. ep: 11.*

* i. Deliber.

† Vide (d) in notis ad § 3. cap. 5. l. 1.

* Thucid: l. 1.

† Thucid: l. 1. & Plutarch: in vita Periclis.

* Herodot: Polymnia.

(i) (k) Specialia dicuntur, quòd ex eorum inductione, generales Artium regulæ, collectæ & conſtitutæ ſunt. Vnde etiam ſuperiori ſeculo, cùm antea ignorantiæ, & barbariæ tenebris plùs quàm Cimmeriis obrutæ aliquandiu jacuiſſent, priſtino ſplendori ſunt reſtitutæ. Hunc Specialium Exemplorum vſum demonſtrat in caput 14. l. 1. *Demonſtrationum. P. Ramus. Vbi ſic Philoſophus: Inductio ex rebus ſingulis conficitur: Atqui rerum vniverſarum, citrà Inductionem, haberi cognitio non poteſt.*

(l) *Illuſtrantur.* Vt Specialia hæc præſtantium authorum exempla diſciplinarum regulas primò conſtituunt; ita jam conſtitutas illuſtrant. Plato in Regno: *Difficile eſt, ô Beate, Exemplis non vtentem, res magnas explicare:* Sed, Exemplorum ope, præceptiones vel obſcuriores, dilucidas fieri, quivis animadvertit.

Obſervatu hìc dignum eſt, Exempla, quæ in Cauſis (vbi quæſtio

est finita & specialis) sunt Similia, eadem in Consultationibus (vbi quæstio infinita est & generalis) rectè Specialia dicitur; atq; etiam Exempla in Disciplinis, quæ respectu regularum generalium Specialia sunt, eadem, respectu aliorum specialium Exemplorum, rectè dici Similia. Veluti respectu finitæ & specialis propositionis [*Roma Pompeio deferenda est adventu Cæsaris,*] Exemplum illud Themistoclis est Simile: sin propositio infinita & generalis sit, [*Urbs adventu hostis deferenda est*] sit idem exemplum Speciale. Item respectu præcepti generalis [Metonymia materiæ est, cùm nomen Materiæ pro Effecto ponitur] *aurum* pro *ũmo aureo*, Exemplum est Speciale: sin per illud aliud Speciale Exemplum declaretur [ferrum pro armis ferreis Metonymia est materiæ, quia similiter aurum ponitur pro nummo aureo] (quæ docendi ratio nonnullis arridet) Exemplum jam non Speciale, sed Simile erit.

Epilogus locorũ † Top: ¶ 42.

† *Expositis omnibus argumentandi Locis, illud primùm intelligendum est, nec vllam esse disputationem, in quam non aliquis Locus incurrat; nec se è omnes Locos incidere in omnem quæstionem; & quibusdam quæstionibus alios, quibusdam esse alios aptiores Locos,* vt ex iis ad omnem

* Vid: l. 1. c. 2. § 2.

* Persuadendi modum sumantur argumenta: quæ idcirco vel conciliantia vel explicantia, vel probantia, vel amplificantia, vel concitantia, appellantur. (a) Quæ vt expeditiùs invenias, *subjectum* & *prædicatum* Thematis propositi ducenda sunt per omnes 20 Locos, & (b) ex his argumenta *deligenda*, quę, ad dictas Thematis partes arguendas, aptissima videntur.

† Orat: l. 2. ¶ 82

" † Multa enim occurrunt argumenta, quæ in dicendo profutura videantur: sed eorum partim ita levia sunt, vt contemnenda " sint; partim etiam (si quid habent adjumenti) sunt nonnunquam ejusmodi, vt insit in iis aliquid vitii; neq; tanti sit illud quod prodesse " videatur, vt cum aliquo malo conjungatur. Quæ autem sunt vtilia " atque firma, si ea tamen valde multa sunt, ea quæ ex iis aut levissima " sunt, aut aliis gravioribus consimilia, secerni arbitror oportere atq; ex " oratione removeri: equidem cùm colligo argumenta Causarum, non " tam ea numerare soleo, quàm expendere. *Loci autem omnes Oratoris in promptu esse debent:*

* Orat: l. 2. ¶ 49

" * Nec quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties ejus verbi literæ sunt cognitione conquirendæ; nec " quoties Causa dicenda est, toties ad ejus causæ sepositа argumenta revolvi nos oportet; sed habere certos Locos, qui, vt literæ ad verbum " scribendum, sic illi ad Causam explicandam, statim occurrant. Sed hi " loci ei demum Oratori prodesse possunt qui est versatus in rebus; vel " vsu, quem ætas denique affert, vel auditione & cogitatione, quæ stu-

† Orat: l. 2. ¶ 60

" dio & diligentiâ præcurrit ætatem. † His igitur Locis in mente & " cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum positâ excitatis; nihil " erit quod Oratorem effugere possit: non modò in forensibus disceptationibus; sed omnino in vllo genere dicendi.

(a) Vide

(a) Vide Rod: Agric: Invent: l. 1. c. 21. Vbi exemplum hoc proponit, *An philosopho sit ducenda vxor?*

(b) Partit: ¶ 16. C.F. *Omnibusne ex his locis argumenta sumemus?* C.P. *Imò verò, scrutabimur, & quaremus ex omnibus: sed adhibebimus judicium, vt levia semper rejiciamus; nonnunquam etiam communia prætermittamus, & non necessaria.*

C. 3. *De Dispositione.*

§ 1. *De Dispositione Argumentationum.*

DIspositio est idonea eorum, quæ dicentur, in Oratione collocatio. Ea autem sunt quinque: Argumẽtationes, & Genera dicendi; Argumẽtationum partes, Partes orationis, & Modi persuadendi. Illorum simplex & certa est Dispositio: horum verò duplex & incerta.

In Argumentationum nostrarum Dispositione (a) firmissimæ primum & vltimum teneant locum: mediocres * in medio collocentur: sed argumentationes adversariorum firmissimæ quidem primò (b) leviores postremò impugnentur.

Ita sunt argumentationes disponendæ, vt omnes inter se cohæreant, & posterior quæque è priore fluere videatur: (c) non tamen nimis arctè constipandæ, sed, interpositis Dilatationibus & Digressionibus, suaviter distinguendæ.

* ni fortè penitus rejiciantur. vide (b) in Epilogo Locorum.

Adc. 3. § 1.

(a) Orat: l. 2. ¶ 82. "Atque etiam in illo reprehendo eos, qui quæ "minimè firma sunt, ea primò collocant: in quo illos quoque errare "arbitror, qui, siquando plures adhibent patronos, vt in quoque eorum "minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc "postulat, vt eorum expectationi qui audiunt, quàm celerrimè occurratur: cui si initio satisfactum non sit; multò plùs sit in reliqua "Causa laborandum. Malè enim seres habet, quæ non statim vt dici "cœpta est, melior fieri videtur. Ergo vt in Oratore optimus quisque, "sic & in Oratione firmissimum quodque sit primum: dum illud tamen "in vtroque teneatur, vt ea, quæ excellant, setventur etiam ad extremũ: "siqua erunt mediocria; (nam vitiosis nusquam esse opottet locum) in "mediam turbam atque in gregem conjiciantur. *Et ad Heren l.* 3. ¶ 21.

" Argumentationũ Dispositionẽ hujusmodi cõvenit habere: firmissimas " argumentationes in primis & postremis causæ partibus; mediocres, " & neque invtiles ad dicendum, neque necessarias ad probandum (quę, " si separatim ac singulæ dicantur, invtiles sunt; cum cæteris conjun- " ctæ, firmæ & probabiles sunt) interponi & in medio collocari opor- " tet. Nam re propositâ, statim expectat animus auditoris, ex quare " Causa confirmari possit. Quapropter continuò firmam aliquam o- " portet inferre argumentationem: & quoniam nuperrimè dictum fa- " cilè memoriæ mandatur; vtile est, cùm dicere desinamus, recentem " aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentati- " onem. Hæc dispositio argumentationum, tanquam instructio mili- " tum, facillimè in dicendo, sicut illa in pugnando, parare potest vi- " ctoriam.

(b) Quia posteriùs dicta firmiùs hærent, firmiora argumenta priùs solvantur, infirma ad extremum reserventur: quibus facilè confutatis, opinionem, auditorum animis, relinquamus, cætera esse his similia.

(c) Theod: l. 3. c. 17. *Non oportet autem Enthymemata continuè dicere, sed aliis permiscere, ne alius alij officiat.*

C. 3. § 2.

De Dispositione Styli.

IN Dispositione Styli hoc vtique observandum est, vt Stylus cuiq; (a) materiæ, (b) personæ, (c) tempori congruus, (d) vbique tribuatur: sive is (e) sublimis sit, subtilis, aut mediocris; sive (f) Asianus, Laconicus, aut Rhodius; sive (g) quilibet alius.

† Vide § 5. Porro vt † tres Persuadendi modi in tribus locis Orationis, Conciliatio in Præparatione, Doctrina in Fide, Concitatio in Conclusione; ita tria dicendi genera in tribus Persuadendi modis, Subtile in Docendo, Sublime in Concitando, Mediocre in Conciliando, collocatur. Vide l. 1. c. 2. § 3.

Ad c. 3. § 2.

(a) (b) (c) Orat: l. 3. § 32. " Id quidem perspicuum est, non o- " mni causæ, nec auditori, neque personæ, neque tempori, congruere o- *Materia.* " rationis vnum genus. Nam & causæ capitis alium quendam verbo- " rum sonum requirunt, alium rerum privatarum, atq; parvarum: & a- " liud Dicendi genus Deliberationes, aliud Laudationes, aliud Iudicia, " aliud Sermones, aliud Cõsolatio, aliud Objurgatio, aliud Disputatio. *Persona.* " aliud Historia, desiderat. Refert etiã qui audiũt, senatus, an populus, an

" judices.

"judices; frequentes, an pauci, an singuli: & quales ipsi quoque Ora-
"tores, qua sint ætate, honore, authoritate, debet videri. tempus, pacis
"an belli, festinationis an otij. Itaque figura orationis Plenioris, & *Tempus.*
"Tenuioris, & item illius Mediocris ad id quod agimus accommodata,
"deligenda. Ornamentis ijsdem vti licebit, aliàs contentiùs, aliàs sub-
"missiùs: Omniq; in re posse quod deceat facere, Artis & Naturæ est;
"scire quid quandoque deceat, Prudentiæ.

(a) (d) Q. l. 12. c. 10. *Vtetur Orator, vt res exiget, omnibus Dicendi generibus: nec pro Causa modò, sed etiam pro partibus Causæ.* vide l. 1. c. 2. § 3. (e)

(c) Orat. perf. ¶ 18. *Is est Eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè, potest dicere.*

(f) (b) Convenit Stylus Asianus adolescentibus: Laconicus adultis, occupatis, & superioribus: Rhodius omnibus, præsertim ijs, qui promptam in Dicendo facultatẽ consectantur. vide l. 1. c. 2. § 3. (g) (h) (i)

(g) Q. d. c. *Dicet idem graviter, severè, acriter, vehementer, concitatè, copiosè, amarè, comiter, remissè, subtiliter, blandè, leniter, dulciter, breviter, vrbanè, non vbique simul, sed vbicunque par sit.*

C. 3. § 3.

De Dispositione Axiomatum.

CÆterorum Dispositio duplex est: Propria sc. & Impropria. *Dispositio duplex.*

Propria est, qua partes proprio & naturali ordine collocantur. Impropria, vbi ordo naturalis, partis alicujus vel Transpositione vel Omissione, immutatur. *Propria.*

Ex tribus argumentationis partibus, (a) prima est, naturali ordine, Propositio, Assumptio secunda, tertia Complexio. *Improprie per Transpositionem.*

Verùm hic ordo apud Oratores non semper servatur. (b) Interdum enim Assumptio Propositioni præponitur, & vtrique Complexio: quæ tamen (si principalis syllogismi sit) vel suo loco, vel alibi, in Tractatione, semel aut sæpius repetatur.

(c) Omittitur quandoque altera antecedentis pars, tanquã perspicua; & minùs probabili magis insistitur: sed, in Causa difficili, Orator consultò contrà facit: & partẽ firmiorẽ, quę probatione parũ indiget, instanter vrget, ostentat, *Per Omissionem.*

confirmat, & amplificat; infirmiorem verò & probatu difficilem, quasi per se manifestam, vel leviter tangit, vel omnino tegit: vt, ex validiori axiomate, & Complexione, validius videatur Enthymema.

(d) Complexio etiam perspicua Syllogysmi non principalis, interdum non incommodè omittitur.

Ad c.3. § 3.

(a) Exemplum Dispositionis Propriæ est pro Rabirio: quem accusat Labienus, *quòd Saturninum interfecerat: atque id injustè fecerat.* Huic duplici accusationi respondent duo summi Oratores, Hortensius & Cicero: ille de facto, in statu conjecturali, *Rabirium non interfecisse Saturninum:* hic de jure, in statu definitivo, *Saturnini necem justam fuisse:* quod probat duplici syllogysmo connexo, altero * secundi modi, Prop. *Si interfici Saturninum nefas fuit; arma sumpta esse contra Saturninum sine scelere non possunt:* altero † primi modi, Prop: *Si arma jure sumpta sunt; interfectus jure Saturninus.* Assumptio communis est, *At arma contra Saturninum jure sumpta sunt*: hanc copiosè demonstrat authoritate Senatus & Consulum, cum consensu Equestris ordinis, & bonorum omnium, quorum principes non paucos enumerat. Complexio demum infertur, *Ideo jure interfectus Saturninus.* Quam sic effert & amplificat Orator, *Si occidisset Saturninum Rabirius; non supplicium deprecarer, sed præmium postularem.*

* Qui tollit consequens, vt tollat antecedens.

† qui assumit antecedens, & consequens concludit.

(b) Exemplum Impropriæ dispositionis est Catilinariâ 2. vbi Complexio præcedit, Assumptio sequitur, & Propositio intelligitur. *Hunc quidem vnum hujus belli domestici ducem sine controversia vicimus. Non enim jam inter latera nostra sica illa versabitur:* &c. Namq; sic explicatur syllogismus: Prop. *Si jam inter latera nostra sica illa non versabitur; hujus belli ducem vicimus:* At *jam inter latera nostra sica illa diutiùs non versabitur:* Ergo *belli ducem vicimus.*

Omnes hujus Syllogismi partes vnicâ mox sententiâ exprimuntur. *Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus; cum illum ex occultis insidijs in apertum latrocinium conjecimus.* Propositio est integra sententia inversa. *Si hominem ex occultis insidijs in apertum latrocinium conjecimus; sine dubio illum perdidimus, magnificèque vicimus:* Assumptio est posterior sententiæ pars, At *hominem ex occultis insidijs in apertum latrocinium conjecimus:* Et Complexio Prior, Ergo *hominem perdidimus, magnificèque vicimus.*

Omissio.

(c) Exempla Impropriæ Dispositionis per omissionem sunt Catil. 1. Prop. *Si illustrantur, si erumpunt omnia; mutabit istam mentem.* Assumptio insequitur, At *tenèris vndique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia:* (quam deinceps singulorum enumeratione Orator comprobat) *Meminisse* &c. Complexio verò subintelligitur, Ergo *mutabit mentem.* Ex probata hac Assumptione, aliam postea elicit Complexionem, *Qua*

cum

cùm ita sint, perge quò cœpisti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ: profiscere: &c. Sed intellectâ Propositione, *Si conjurationis tuæ consilia luce nobis clariora sunt; egredere ex urbe. &c.*

(d) Invent. l. 1. ¶ 59. *Sunt qui putant nonnunquam posse Complexione supersederi; cùm id perspicuum sit, quod conficitur ex Ratiocinatione.* Exemplum est in (c).

C. 3. § 4.
De Dispositione Partium Orationis.

DIspositio hìc etiã duplex est: Propria, quâ partes Orationis (a) naturali ordine collocantur; & impropria, quâ naturalis partium ordo, vel (b) Transpositione, vel (c) Omissione, immutatur.

Impropria Dispositio prudenti Oratorum judicio relinquitur: quam pro arbitrio vbilibet variant.

Ad c. 3, § 4.

(a) Naturalis partium ordo est, quo vulgò recensentur. [Exordium, Narratio Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.] Orat. l. 2. ¶ 82. *Vt aliquid ante rem dicamus, deinde vt rem exponamus, pòst vt eam probemus nostris præsidijs confirmandis, contrarijs refutandis, deinde vt concludamus atque ita peroremus; hoc docendi genus Natura ipsa præscribit.* Etenim *Præparationis*, [seu ejus quod *ante rem dicitur*,] duas omnino facit Orator, vt alij Rhetores, partes, Exordium & Narrationem: quibus ipsis, paulò pòst nominatim explicatis, adjungit tertio loco Propositionem. *Sequitur vt Causa ponatur*: &c. vide l. 1. c. 3. § 1.

(b) *Transpositione.* Ipsius Exordij Transpositio rara est: sed primum † fere, (vt fert nomen) si aliquem, tenet locum. * *Est tamen non rarò Exordij vis etiam non in Exordio: nam judices [illegible] in Narratione nonnunquam, & in argumentis, vt attendant, & [illegible] faveant, rogamus.* *Transpositio Exordij.* † vide Transp. Prop.

Theod. l. 3. c. 16. *Est autem multissin locus narrare*: hoc est, vt plerùnque proxime Exordium, ità aliquando pòst alias partes. Pro Milone, Narratio sequitur confutationem. Quod verò Orator ait † *Narrationis vnus est in Causa locus*; apparet illud de Narratione in eadem Oratione non iteranda intelligi. Quamvis Q. Ἐπιδιήγησιν nonnunquam admittat * "Est & quædam repetita Narratio, quæ ἐπιδιήγησις dicitur: "sanè res declamatoria, magis quàm forensis: ideo reperta, vt quia "Narratio brevis esse debet, fusius & ornatiùs res posset exponi: quod "fit vel invidiæ gratiâ, vel miserationis. Id rarò faciendum judico: ne- "que sic vnquam vt totus ordo repetatur: licet enim per partes idem "consequi. Cæterùm qui vti ἐπιδιήγησει volet, Narrationis rem loco "stringat; & contentus indicare quid factum sit, quo sit modo factum, "plenius se postea expositurum esse promittat. * Q. l. 4. c. 1. *Narrationis.* † Orat. l. 2. ¶ 82. * l. 4. c. 2.

Propositio

Propositionis. Propositio interdum suo loco non exprimitur: sed vel in Narratione latet; (vt, pro Milone, *Clodius cùm statuisset* &c. tandem concludens ait, *Hæc sicut exposita ita gesta sunt Iudices*: Prop. *Insidiator superatus, vi victa vis, seu potiùs oppressa virtute audacia est.*) vel in Confirmatione, vt docet Q. † *Propositio non modò in ostendenda quæstione principalis; sed nonnunquam etiam in singulis argumentis pons solet: maximèque in his quæ* * *ἐνθυμήματα vocantur.*

† l. 4 c 4.

* Ἐνθύμημα, est Ratiocinatio, vel potiùs Dialecticus syllogismus, quo adversarium cominus aggredimur. vide Q. l. 5. c. 10.

Pro Cluentio, & Narrationi & Exordio præponitur Partitio, seu duplex Propositio, *Animadverti, judices,* ——— Eam sequitur Exordium, benevolentiam captans & attentionem, à personâ judicis ex rei veritate, quod concludit cum obsecratione. *Sed in hac tanta* ——— *Quamobrem dum multorum* ——— Deinde, post repetitam priorem Propositionem, subjungit Narrationem longiusculè petitam de incestis Sassiæ [Matris Cluentij] nuptijs, & in filium crudelitate. *Aulus Cluentius Avitus* ———

Confirmationis & Confutationis. In fide faciendâ, nunc Confirmatio, nunc Confutatio præcedit. Theod. l. 3. c. 17. *Oportet autem & in consilio & in judicio eum, qui incipit sua argumenta prius dicere, posterius verò contraria oppugnare, ea solvendo, & ante elevando: eum autem, qui posterius dicit, prius dicere oportet quæ contrariam opugnant rationem, ea solvendo & contra arguendo, maximè si probata sint.* Hinc Q. * *Si agimus; nostra confirmanda sunt primùm; tum, quæ nostris opponuntur, refutanda: sive respondemus; prius incipiendum est à Refutatione.* Orator autem Confirmationem & Confutationem permisceri vult, † *Quia neque reprehendi quæ contrà dicuntur possunt, nisi tua confirmes; neq; hæc confirmari, nisi illa Reprehendas; idcirco hæc & naturâ & utilitate, & tractatione, conjuncta sunt.* Pro Milone, inter confirmationis assumptionem & propositionem, Confutatio interponitur.

* l. 5. c. 13.

† Orat l. 2. ¶ 82.

Perorationis. † Sed vide suprà Prop. trans. Peroratio transponi non potest, quia concludit; vt † Exordium quia incipit: sed vt Exordij vis est, non in Exordio; sic Perorationis non in Peroratione. Nam in Fide, & Enumeratio, & Pathopœia, reperitur. Quint: l. 6. c. 1. "Illud constat inter omnes, etiam in alijs partibus "Actionis, si multiplex causa sit, & pluribus argumentis defensa, vti- "liter ἀνακεφαλαίωσιν fieri solere: sicut nemo dubitaverit, multas esse "Causas, in quibus nullo loco sit necessaria: si breves & simplices fu- "erint. *& versus finem,* Omnes item hos affectus, si quibusdam vi- "dentur in Proœmio atque in Epilogo sedem habere (in quibus sanè "sunt frequentissimi) tamen aliæ quoque partes recipiunt, sed brevio- "res. Nam neque exponi sine his res atroces & miserabiles debent. Vbi "verò conjunctam ex pluribus Causam agimus, etiam necesse erit vti "pluribus quasi Epilogis: vt in * Verrem Cicero fecit. Nam & Philo- "demo, & navarchis, & cruciatis civibus Romanis, & alijs plurimis "suas lachrymas dedit.

* Act. 3. & 7.

(a)(b) De duplici partium Orationis Dispositione, sic author ad Heren. l. 3. ¶ 21. "Genera Dispositionis sunt duo: unum ab institutione artis profectum; alterum ad casum temporis accommodatum. Ex institutione artis Disponemus, cùm sequemur eam præceptionem, quam in primo libro exposuimus: hoc est, vt vtamur Exordio, Narratione,† Divisione, Confirmatione, Confutatione, Conclusione. Est autem & alia Dispositio, quæ, cùm ab ordine artificioso recedendum est, Oratoris judicio ad tempus accommodatur, vt si à Narratione dicere incipiamus, aut ab aliqua firmissima argumentatione; aut si secundùm * Principium Confirmatione vtamur, deinde Narratione: aut siquam hujusmodi permutationem ordinis faciamus. Quorum nihil, nisi Causa postulet, fieri oportebit. Nam si vehementer aures auditorum obtusæ videbuntur, atque animi defatigati ab adversarijs multitudine verborum; commodè poterimus Principio supersedere, & exordiri Causam aut à Narratione, aut ab aliqua firma argumentatione: deinde (si cõmodum erit, quia non semper necesse est) ad Principij sententiam reverti licebit. Si Causa nostra magnam difficultatem videbitur habere, vt nemo æquo animo Principium possit audire; à Narratione cùm inceperimus, ad Principij sententiam revertamur licebit. Si Narratio parum probabilis est; exordiemur ab aliqua firma argumentatione. His commutationibus & translationibus partium sæpe vti necesse est, cùm ipsa res artificiosam Dispositionem artificiosè commutare cogit.

† Partitione.

* Exordium.

(c) Quibusdam de causis omittitur Exordium: 1 † si jam satis sit præparatus judex: 2. si res præparatione non egeat: 3. si judex sit occupatus: 4. si angusta sint tempora: 5. si major potestas ab ipsa re cogit incipere. * Aristoteles *nihil opus esse Exordio dicit, nisi ad pravum auditorem, qui ea quæ sunt extra rem libenter audit* (Vide l. 1. c. 3. § 6. (f) in notis) Quam ob causam à nostris Causidicis fere negligitur.

Omissio Exordij.

† Q. l. 4. c. 1.

* Theod. l. 3. c. 14.

Narratio, vt Exordium, quandoque omittitur. † *Sed quando ea vtendum sit aut non sit, id est consilij. Neque enim, si nota res est, nec dubium sit quid gestum sit, Narrari oportet: nec si adversarium Narravit, nisi si refellemus: ac siquando erit Narrandum, ne illa quæ suspitionem & crimen efficient, contra; nos erunt, acriter persequamur: & quicquid poterit, detrahamus.* Et Idem alibi, * *Illud præterea considerare oportebit, ne, aut* cùm obsit *Narratio, aut* cùm nihil prosit, *tunc interponatur: ne, aut* non loco, *aut* non què admodũ Causa postulat, *Narretur.* ☞ Obest *tum, cùm ipsius rei gestæ expositio magnam excipit offensionem: quam, argumentando & Causam agendo, lenire oportebit: quod cùm acciderit,* † *membratim oportebit partes rei gestæ dispergere in Causam, & ad vnam quamque confestim ratiõem accommodare: vt vulneri præsto medicamentum sit, & odium statim defensio mitiget.*

Narrationis † Orat. l. 2. ¶ 82.

* Invent. l. 1. ¶ 38.

† Vid. l. 1. c. 3 § 2. (c)

Nihil prodest *Narratio tunc, cùm ab adversarijs res exposita, nostra à nihil interest iterum aut alio modo Narrare: aut cùm ab ijs qui audiunt, ita tenetur negotium, vt nostra à nihil interfit eos alio pacto*

docere: quod cùm acciderit, omnino Narratione supersedendum est.

Non loco dicitur, cùm non in ea parte Orationis collocatur, in quâ res postulat: quo de genere agemus tum, cùm de Dispositione dicemus: nam hoc ad Dispositionem pertinet.

Non quemadmodum Causa postulat *Narratur, cùm aut id, quod adversario prodest, dilucidè & ornatè exponitur; aut id, quod ipsum adjuvat, obscurè dicitur & negligenter. Quare ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suæ Causæ, contraria, quæ prætervri possunt, prætereundo, quæ illius erunt leviter attingendo, sua diligenter, & enodatè Narrando.*

* Theod. l. 3. c. 16.

Narrationem Aristoteles è genere Deliberativo excludit. * *In Deliberatione idcirco non incidit Narratio, quoniam de futuris rebus nemo Narrat.* Attamen de rebus Deliberationis † occasionem & fundamentum præbentibus, (quę quidem præteritę sunt) vt in alijs Causarum generibus, Narrari potest. Licèt itaque Agrariâ 3. & de Provinciis Consularibus Narratio non sit; est tamen pro lege Manilia: *Atque vt inde oratio mea proficiscatur, vnde hac omnis Causa ducitur*, &c. Et Agrariâ 2. *Itaque vt mihi designato Consuli*, &c.

† Vide l. 1. c. 3. § 2. (a)

Propositionis.

Propositio, quia nihil aliud est, quàm principalis quæstio, omnino omitti non debet; ne quid sit, de quo quæritur, ignoretur.

Confirmationis. Confutationis.

Confirmatio item & Confutatio, quia ipsa sunt Quæstionis * firmamenta, omittendæ non sunt: non tamen eę semper ambę vnà conveniunt, sed aliquando, alterâ omissâ, altera sola fidem facit: vt docet Orator. † *Si in refellendo adversario firmior esse oratio, quàm in confirmando nostris rebus, potest; omnia in illum conferam tela: sin nostra facilius probari, quàm illa redargui, possunt; abducere animos à contraria defensione, & ad nostram conor deducere.* Pro Plancio, omittitur Confirmatio: adhibetur autem duplex Confutatio: altera objectionis de Laterensis præstantia, & indignitate Plancij; altera de exiguis Plancij in Ciceronem meritis, & nimiâ Ciceronis in Plancium gratiâ. Habet autem vtraque Confutatio partes duas; alteram qua Laterensi, alteram qua Cassio respondetur. Pro Sextio omittitur Confutatio; & Confirmatio, in duas divisa partes, copiosiùs tractatur. Prima est de moribus & factis Sextij ante Tribunatum: secunda de ipso Tribunatu.

* Heren. l. 1. ¶ 18. *Tota spes vincendi, ratioque persuadendi, posita est in Confirmatione, & Confutatione.*

† Orat. l. 1. ¶ 78.

Perorationis.

Peroratio nonnunquam potest omitti. * *Nemo dubitat multas esse Causas, in quibus Enumeratio nullo loco sit necessaria: nempe si breves & simplices fuerint.* Imo tota alicubi Peroratio ab Oratore omittitur. Vt pro Fonteio, & 4. in Verrem invectiva.

* Q. l. 6. c. 1.

Cap.

C. 3. § 5.

De Dispositione Modorum Persuadendi.

SImilis omnino est Modorum Persuadendi, in his partibus, Dispositio. Nam (a) vbi Conciliatio in Præparatione, Concitatio in Conclusione, Doctrina in Tractatione, reperitur; Dispositio Propria & directa est: vbi verò hic ordo, modi alicujus, vel (b) Transpositione, vel (c) Omissione, immutatur; impropria est Dispositio.

Ad c. 3. § 5.

(a) De propria & frequentiori Modorum Dispositione, vide l. 1. cap. 2. § 2. (f) (l) & c. 3. § 1. &c.

(b) Modorum Transpositionem interdum non invtiliter admitti posse ostendunt Rhetorum, tum monita quædam, tum exempla. Q. l. 4. c. 1. *Est interdum Exordij vis etiam, non in Exordio: nam judices, & in Narratione nonnunquam, & in Argumentis, vt attendant, & vt faueant rogamus:* vt pro Cluentio: vbi primò benevolentiam & attentionem petit suo loco: *Dum multorum amorum accusationi,* &c. (v. l. 1. c. 3. § 1. (e)) deinde idem facit in Tractatione: *Vos quæso, vt adhuc me attentè audistis, item quæ reliqua sunt audiatis.* Sic etiam l. 6. c. 1. Quint. *Affectus siquibusdam videntur in Proœmio, atque in Epilogo sedem habere; (in quibus sanè sunt frequentissimi) tamen aliæ quoq; partes recipiunt:* (v. § 4. Transp. Peror.) & Partit. § 51 *Orator: In confirmanda nostris argumentationibus, infirmandisque contrarijs, sæpe erunt accusatoris motus animorum incitandi, reo mitigandi.* Pro Cluentio Concitatio est, crimen exaggerans, in Narratione: *O mulierem scelus incredibile ——— rationem amentia.* Atque ibidem similis Concitatio sequitur in Tractatione, cum odiosâ criminum enumeratione conjuncta. *Dum verò eum fuisse Oppianicum ——— opprimere posse.*

Contrà, *Doctrinæ* Partes reperiuntur, non in Tractatione: vt *Probatio* in Narratione: (vid. l. 1. c. 3. § 2. in fine.) Et Verr. 2. statim ab Exordio brevi, *Digressio* est in laudem Siciliæ, & Siculorum: (ad quam hac vtitur Orator Transitione: *Atque adeo antequàm de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de provincia dignitate, vetustate, vtilitate dicenda.*) *Nam cùm omnium sociorum ——— in genere peccâsset.* Vnde sic transit ad Narrationē: *sed cùm perferre non possent,* &c.

(c) *Omissione.* Qui † celari debent modi, [*Conciliatio* & *Concitatio*,] etiam omitti possunt: imo & Doctrinæ partes [*Explicatio, Dilatatio,* & *Digressio*:] *Probatio* sola est necessaria: sine qua, persuaderi nullo modo potest. *Modorum omissio.*

† vid. l. 1. c. 2. § 2. (k).

Epilogus Dispositionis.

Adultis & expertis Dispositio variè commutanda est: vt præcipit * Orator: *Iam illud videmus, nequaquam satis esse reperire quid dicas; nisi id inventum tractare possis. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem is qui audit; aut defatigetur similitudinis satietate.* Tyrones tamen proprium illum & certum ordinem religiosè vbique observent: nec antè ad Impropriam & arbitrariam Dispositionem admittantur; quàm, rebus singulis vsu perspectis, laudabiliter naturali ordine dicere didicerint.

* Orat. l. 2. ¶ 60.

Cap. 4.
De Elocutione & Pronunciatione.

DE Elocutionis & Pronunciationis ornamẽtis, vide Rhetoricam. Quæ vt Poësin, Historiam, Philosophiam, Epistolas, adeoque ipsum familiare Colloquium, exornant; ita in Oratione præcipuè locũ habẽt, & cuilibet Dicendi generi afferunt tum gratiam, tum dignitatem.

Cap. 5.
De Memoria.

(a) MEmoria est quinta pars *Oratoriæ*, qua Orationem animo percipientes, & perceptam retinentes, eam promptè reddere possumus. (b) Estque rerum aut verborum.

Adjumenta.

Memoriæ Oratoriæ Adjumenta plura sunt: (c) Memoria duplex, (d) naturalis sc: & (e) artificialis, Ordo in oratione, tum (f) contexendâ, tum (g) ediscendâ, & (h) Memoriter dicendi exercitatio: etiam (i) Corporis sanitas, Cibus digestus, & Mentis immunitas: tum (k) Scriptio, & (l) Scripti seu tacita seu vocalis recitatio; suo quælibet *tempore*, & *loco* adhibita. (m) *Tempus* Adjumentis hisce maximè idoneum, est matutinum: (n) *Locus* verò, solitarius. Vtendum tamen vtrisque interdum est, qualia dantur.

Ad c. 5.

(a) Memoria hic non sensum ipsum internum, aut memorandi facultatem; sed illius actum significat: atq; idem sonat quod Recordatio, Memoratio,

Memoratio, seu † Memoratus: in quo sensu passim sumitur apud Authores. * Quorum *Memoria & recordatio, in maximis nostris gravissimisque curis, jucunda sanè fuit.* † *Sepulchris legendis redeo in memoriam mortuorum.* Et * *Flevit memoriâ rerum gestarum commotus.* Itaque sic definitur Invent. l. 1. ¶ 11. *Memoria est firma animi, rerum ac verborum, perceptio:* & ad Heren. l. 1. ¶ 5. *Memoria est firma animi, rerum & verborum & dispositionis, perceptio.*

† Gellius l. 11. c. 4.
* Brut.
† Senect.
* Ep. 32. l. 10.

(b) *Estque rerum aut.* Hæc Memoriæ distributio hinc oritur, quòd res & verba, necessariæ sunt cujuslibet orationis partes. † *Nam cum omnis ex re atque verbis constet oratio; neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba semoveris.* Rerum memoriâ Lucullus; verborum præstitit Hortensius. * *Habuit Lucullus divinam quandam memoriam rerum; verborum majorem Hortensius.* In vtraque mirum fuisse Ciceronem, demonstrant pleræque illius Actiones, præsertim Verrinæ: vt eum ad prudenter & eloquenter Dicendum, semper promptum fuisse, mirum non sit.

Memoria rerum aut verborum.
† Orat. l. 3. ¶ 6.
* Aca. Quæst. l. 2.

(c) *Memoria duplex.* Heren. l. 3. ¶ 35. *Sunt igitur duæ memoriæ: una naturalis, altera artificiosa. Naturalis est, quæ nostris animis insita est, & simul cum cogitatione nata. Artificiosa est ea, quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis.*

Memoria naturalis & artificialis.

(d) *Naturalis.* Primum & præcipuum Memoriæ, seu Recordationis oratoriæ Adjumentum, sine quo cætera omnia parum valent, est Memoria naturalis; communis illa non modò Eloquentiæ, sed etiam omnium Artium thesaurus: vt docet Orator Orat. perf. ¶ 9. *Memoria communis est multarum artium:* Et Orat. l. 1. ¶ 5. *Quid dicam de thesauro rerum omnium Memoriâ? quæ nisi custos inventis cogitatisque rebus & verbis adhibeatur; intelligimus omnia, etiamsi præclarissima fuerint, in Oratore peritura.* Et Heren. l. 3. ¶ 35. *Memoria est thesaurus inventorum, atque omnium partium Rhetoricæ custos.* Et Quint. l. 11. c. 2. *Omnis Disciplina Memoriâ constat: frustraque docemur, si quicquid audimus præterfluat: & exemplorum, legum, responsorum, dictorum, benè factorum, velut quasdam copias, quibus abundare, quasque in promptu semper habere debet Orator, eadem illa vis repræsentat: neque immerito thesaurus hic Eloquentiæ dicitur.* Vnde † Tullius, ex poëtis, Mnemosynen Musarum Matrem dicit: Memoria itaque naturalis sic definitur ab Arist. * *Memoria est habitus phantasmatis, tanquam imaginis ejus rei, ex qua redditur phantasma.* † Sennertus interni sensus (cujus organum & sedes est cerebrum) tres *statuens* species, [sensum communem, phantasiam, & memoriam] eas sic definit.

† Nat. Deor. l. 3.
* De Mem. & Remin.
† Med. l. 1. c. 13
Tres interni sensus.

Sensus communis est, qui omnium exteriorum sensuum objecta percipit, phantasiam movet, eique species sensibiles offert. Ideoque in anteriori cerebri parte, sensibus externis proximâ, vbi quinque nervi sensitivi concurrunt, collocatur.

Sensus communis.

Phantasia est, quę species sẽsibiles, à sensu cõmuni perceptas, diligẽ-

tiùs exanimat, vtrùm quærendæ, an fugiendæ sint.

Memoria. Memoria est, quæ plures species sensibiles à phantasia cognitas simul recipit, & reservat; eique cùm opus est rursus exhibet: ea autem in posteriori cerebri parte collocatur. Vnde Memoriâ valere dicuntur, quibus occiput est amplius: quibus autem sinciput & frons prominet, ij magis valere imaginatione, & ratiocinatione creduntur. Omnes etiam consentiunt, ad Memoriam commodiorem esse siccitatem cerebri: &, contrà, ad phantasiam humiditatem. Pituitosi itaque debilis sunt memoriæ: etiam adolescentes & senes memoriâ firmâ non sunt: vt docet Arist. * *Qui primo ætatis flore sistent, & qui exactâ ætate sunt, memoria lapsum sentiunt: & quidem propter motum: hi enim magnopere decrescunt; illi vehementiùs augentur & adolescunt.*

* De Memoria & Remin.

Quà autem differt Memoria à Reminiscentia, docet Idem ibidem. *Memoria sanè, & Reminiscentia non solùm tempore differunt, verùm etiam eâre, quòd Memoria, complures quoque alia animantes participes sunt; Reminiscentia verò, homo vnus omnium quorum naturam compertam habemus, compos est. Et, magna ex parte, qui obtuso habetiq; ingenio sunt, Memoriâ magis vigent; qui acuto docilique præstant, Reminiscentiâ magis excellunt. Cujus rei causa illa afferri potest, quòd Reminiscentia, tanquam ratiocinatio, quadam suppetit. Etenim qui reminiscentia dat operam, ratiocinatur se antè, vel audisse, vel vidisse, vel alio sensu percepisse: & quasi inquisitio est.* Quod Senertus sic explicat; *Reminisci est ex vna, vel pluribus rebus in memoria asservatis, in alteras, quæ non prompte occurrit, recordationem regredi.*

Memoria naturalis corporis sanitate maximè conservatur: corporis verò sanitas Exercitio & labore: ad quem studiosos omnes, quorum vita fere est sedentaria, inprimis hortor; neque præproperæ severitatis affectatione, tem, cùm corporis, tum animi facultatibus, tam conducibilem, negligere.

† l. 11. c. 2. Quintilianus, in fine † tractatus de Memoria, quosdam enumerat, qui memoriâ naturali mirabiliter claruerunt. "Quantùm nàtu-"râ studioque valeat memoria, vel Themistocles testis; quem, vnum "intra annum, optimè locutum esse Persicè constat: vel Mithridates, "cui duas & viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur no-"tas fuisse: vel Crassus ille dives, qui cùm Asiæ præesset, quinque "Græci sermonis differentias sic tenuit; vt qua quisque apud eum lin-"guâ postulâstet, eâdem sibi jus redditum ferret: vel Cyrus, quem "omnium militum tenuisse creditum est nomina. Quin semel "auditos quàmlibet multos versus protinus dicitur reddidisse Theo-"dectes. Dicebantur etiam nunc esse qui facerent; sed mihi nunquam, "vt ipse interessem, contigit: habenda tamen fides est, vel in hoc, vt "qui crediderit, & speret.

2. *Memoria Artificialis.* (c) *Artificialis.* Memoria Artificialis est, quæ per confictas animo (1) Imagines, & in (2) Locis (3) pluribus, (4) ordine (5) percognitis, dispositas, (6) quæ meminisse volumus memoriæ imprimit.

(1)(2)

(1)(2) *Per imagines, in locis.* Heren. l. 3. ¶ 38. "Constat "igitur Artificiosa memoria ex Locis, & Imaginibus: Locos appel- "lamus eos, qui, breviter perfectè insigniter, aut naturâ aut manu "sunt absoluti, vt eos facilè Naturali Memoriâ comprehendere, & "complecti queamus: vt Ædes, Intercolumnium, Angulum, Forni- "cem, & alia quæ his similia sunt. Imagines sunt formæ quæ- "dam, & notæ, & simulachra ejus rei quam meminisse volumus: "quod genus, Equi, Leones, Aquilæ. Quorum autem memoriam "volemus habere, Imagines eorum certis in Locis collocare nos "oportebit. Quemadmodum igitur qui literas sciunt, possunt id "quod dictum est scribere, & recitare quod scripserunt; ita qui "Mnemonica didicerunt, possunt quæ audierunt in Locis colloca- "re, & ex his memoriter pronunciare. Loci enim ceræ aut chartæ "simillimi sunt: Imagines literis: dispositio & collocatio Imagi- "num, scripturæ: pronunciatio lectioni.

(3) *Pluribus.* Ibidem ¶ 41. *Oportet igitur, si volumus multa meminisse, multos nobis Locos comparare; vt in multis locis, multas Imagines collocare possimus.* Et paulò pòst, *Quàm plurimos Locos vt habeas, & quam maximè ad præcepta accommodatos, curare debebis: in Imaginibus collocandis exercere quotidie conveniet.* Metrodori Locos narrat Fabius, in duodecim signis Zodiaci, 360: 30 sc. cujusque signi gradus: Quorum numerum mirari eum mirum non esset, nisi, vt ait Cicero, divina fuisset illius Memoria, quæ non facilè opprimi posset. Vide ☞ proximè seq.

(4) *Ordine.* * *Item putamus oportere ex ordine hos Locos habere, nequando perturbatione ordinis impediamur.* Et Orat. l. 2. ¶ 84. *Sic fore, vt ordinem rerum, Locorum ordo conservaret; res autem ipsas rerum Effigies notaret.* Tanti autem est Ordo, vt ex eo ipsam Artificialem Memoriam excudisse dicatur Simonides. † *Gratiam habeo Simonidi illi Chio, quem primùm ferunt artem Memoriæ protulisse. Dicunt enim cùm cænaret Cranone* ——— (vide locum) *Hæc tum re admonitus, invenisse fertur Ordinem esse maximè, qui Memoriæ lumen afferret.*

* ibd.

† Orat. l. 2. ad finem.

(5) *Percognitis.* * *Quare ex ordine locos comparare, & Locos, quos assumpserimus, egregiè commeditari oportebit: vt perpetuò nobis hærere possint. Nam Imagines, sicut litteræ, delentur, vbi nihil illis vtimur; Loci, tanquam cera, remanere debent.*

* Heren. l. 3. ¶ 41.

(6) *Quæ meminisse volumus.* Hæc sunt aut Res, aut Verba. Heren. l. 3. ¶ 42. *Duplices similitudines esse debent: vna rerum, altera verborum. Rerum similitudines exprimuntur, cùm summatim ipsorum negotiorum Imagines comparantur: Verborum similitudines constituuntur, cùm vnius cujusque nominis & vocabuli memoriæ Imagine notatur.* Si plura de rei totius Imagine, & verborum etiam Imaginibus (quas non nisi ob difficultatem ibidem commendat Author) requiras; vide ¶ 43. & 44.

De Artificij hujus vsu & efficaciâ ambigitur. Orator veterum Memo-

Memoriſtarum teſtimonijs fidem habens, magni illud facere videtur. † *Vidi ego ſummos homines, & divinâ propè memoriâ, Athenis Carneadem, in Aſia Metrodorum; quorum verque, tanquam literis incera, ſic ſe aiebat, Imaginibus in* * *ijs Locis quos haberet, quæ memmniſſe vellet, perſcribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria eſt, ſi eſt nulla naturalis; ſed certè, ſi latet, evocanda eſt.* Quamvis neque tum defuerunt qui dicerent, † *Optimi Memoriam Imaginum ponere, & obſcurari etiam id, quod per ſe Natura tenere potuiſſet.* Quaſi difficilius foret, Locos & Imagines rerum, quàm reſ ipſas & verba, memoriæ mandare: præterquam quòd, collocatis jam Imaginibus, alius adhuc non minùs difficilis reſtet labor, ex iſtis Locis & Imaginibus, res & rerum ordinem promptè deſumere. Quintilianus quidem, ad dictata vocabula ordine recitanda, conducere rectè ſentit. * *Equidem ad quadam prodeſſe non negaverim; vt ſi rerum nomina multa, per ordinem audita, reddenda ſint.* Sed quis ſit hujus, in Dicendi ratione, vſus Artificij; aut quomodo Oratoris memoriam juvare, non turbare, poſſit; ingenuè fateor, me nunquam tam fuiſſe fœlicis ingenij, vt perſpicerem: neq; Orator ipſe, aut l. 2. de Oratore, aut ad Heren. l. 3. (ſi illius eſt) in quibus argumentum hoc fuſiùs tractatur, videtur oſtendiſſe. Et certè ſi vera eſſent quæ vulgò oſtentantur; inter præclara & acuta ingenia, quæ hodie, in omni ſcientiarum genere, multa vigent, aliquis alicibi reperiretur, qui abditum hoc myſterium indagaret, perficeret, exerceret, patefaceret.

† Orat. l. 2. ad finem.

* Vide (3) ſuprà.

† ibid.

* l. 11. c. 2.

3 *Ordo. Diviſio. Compoſitio.*

(f) *Contexendi.* Ordinis in oratione contexendâ partes ſunt Diviſio & Compoſitio. Q. l. 11. c. 2. *Verùm & in his quæ ſcripſimus complectendis, multùm valent, & in ijs quæ cogitamus continendis, propè ſola, (exceptâ, quæ potentiſſima eſt, Exercitatione) Diviſio & Compoſitio. Nam, qui rectè diviſerit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Etiam quæ bene compoſita erunt, memoriam ſerie ſuâ ducent:* quando ſc. conſequentia & antecedentia ordine inter ſe conjuncta ſunt: quando media cum primis, vltima cum mediis ita cohærent; vt nihil neque ſubtrahi, ſine manifeſto intellectu, neque inſeri poſſit.

(g) *Ediſcendi.* Ordo in oratione ediſcendâ eſt, eam particulatim Memoriæ mandare. Q. loco ſuprà citato. *Si longior complectenda memoriâ fuerit oratio, proderit per partes ediſcere: & ha partes non ſint perexiguæ: aliquos nimis multa erunt. Non eſt autem inutile, partibus ſingulis, quo facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat, & quaſi excitet Memoriam.* Et paulò pòſt, *Illud nemineni non juvabit, ijſdem quibus ſcripſerit ceris ediſcere. Sequitur enim veſtigijs quibuſdam Memoriam, & velut oculis intuetur non paginas modo, ſed verſus propè ipſos, quitamen dicit ſimilis legenti. Iam verò ſi litura, aut adjectio aliqua, aut mutatio intervenerat; ſigna ſunt quædam, quæ intuentes errare non poſſumus.*

(h) *Mem.*

(h) *Mem. Dicendi Exercitatio.* Q. l. 1. c. 1. *Nam & maximè necessaria est Oratori Memoria, et ea præcipuè firmatur atq; alitur exercitatione.* Et l. 11. c. 2. *Siquis unam maximamque à me artem memoriæ quærat; Exercitatio est & labor: multa ediscere, multa cogitare, & (si fieri potest) quotidie, potentissimum est. Nihil aquè vel augetur curâ, vel negligentiâ intercidit. Quare & pueris statim quam plurima ediscant; & quacunque ætas operam juvanda studio memoriæ dabit. Devoret intùs tadium illud & scripta & lecta sæpius revolvendo, & quasi eundem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri potest levius, si pauca primùm, & quæ tadium non afferant, caperit ediscere: tum quotidie adjicere singulos versus, quorum accessio labori sensum incrementi non afferat. In summam ad infinitum usque perveniat: & poetica prius, tum orationem, novissimè etiam solutiora numeris, & magis ab usu Dicendi remotis, qualia sunt Iuris-consultorum.* Item Orat. l. 1. ¶ 39. *Exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quàmplurimis, & nostris scriptis & alienis.* Nec parum memoriam juvabit assidua illa Catonis, quam ipse meminit, Exercitatio. † *Pythagoreorum more, exercenda memoriæ gratiâ, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi.* *Exercitatio.* † T. de Senectute.

(i) *Corp. san. cib. dig. ment. im.* Hæc tria *Inventionem* etiam juvant. Q. l. 11. c. 2. *Illud ediscendo scribendoque commune est, utrique plurimùm conferre, bonam valetudinem, digestum cibum, animum cogitationibus aliis liberum.* 5. *Sanitas.*

(k) *Scriptio.* Q. l. 10. c. 7. *Scribendo dicimus diligentiùs; dicendo scribimus facilius. Scribendum ergo quoties licebit: si non dabitur, cogitandum.* Et Lud. Vives, *Utilissimum est, quæ memoriâ retinere cupimus, ea scribere: neque enim aliter infiguntur stylo in pectus, quàm in chartam: videlicet quoniam attentiò in eo quod ipsi scribimus, diutiùs immoratur.* 6. *Scriptio.*

(l) *Scr. tacita & vocalis recit.* Arist. de Memoria, *Commentationes Memoriam conservant.* Q. l. 11. c. 2. *Est ratio & expedita & potens, ediscere tacitè; si non subirent, velut otiosum, animum plerumque aliæ cogitationes: propter quas excitandus est voce, ut duplici motu juvetur memoria, & Dicendi & audiendi. Sed hæc vox sit modica, & magis murmur. Qui autem, legente alio, ediscit, in parte tardatur, quod acrior est oculorum quàm aurium sensus; in parte juvari potest, quòd, cùm semel aut bis audierit, continuò illi memoriam suam experiri licet, & cum legente contendere.* 7. *Scripti recitatio.*

(m) *Tempus.* Sed mirificè firmatur memoria, si quæ sub somnum scripseris, legeris, cogitaveris, & quadantenus memoriæ mandaveris, ea, noctis silentio, post somnum primum reposcas, & recordere: & manè experrectus, ac foràs deambulans, clarâ voce per te reddas; interim *quæ exciderunt retractans, ut crebrâ iteratione firmentur: quanquam solent hoc ipso maximè hærere, quod ex-* *Tempus.*

ciderunt. Mirum dictu est, nec in promptu ratio, quantum nox interposita afferat firmitatis: sive quiescit labor ille, cujus sibi ipsa fatigatio obstat; sive maturatur atq; concoquitur; seu firmissima ejus pars est recordatio. Valde etiam juvat, cùm jam orationem probè teneas, eam (seposito ad tempus scripto, omnique ea de re cogitatione) quasi oblivioni tradere; & postmodum, scripto in manus resumpto, illius memoriam hôc neglectu deficientem, novo, sed facili, labore redintegrare. Secunda etiam altior erit & firmior impressio. Hoc eodem pacto, errata, siqua in contexendo te fugerint, facilè deprehendes: cùm ad opus tuum, jam quasi alienum, vt Censor æquus, non vt Author amicus, accedas.

Locus. (n) *Locus.* Treutlerus Method. Eloq. *Ad memoriam eligendus est locus solitarius: 1. ne varia objecta memoriam distrahant: 2. quia in loco solitario recitatio potest institui*, sicut oratio habenda est, [*clarâ voce.*]

Remedia. Atque hæc sunt, quæ memoriam antè firmant, Adjumenta. Quæ interdicendum labanti succurrant Remedia, sunt duo: Index, & Extemporalis Dicendi facultas; tunc præcipuè adhibenda, cùm aut Memoria naturalis infirmior, aut non satis datur ad ediscendum temporis.

Index. Index est chartula libello commodè affixa, tot continens Columnas, quot scriptum Partes; & in qualibet columna præcipuarum Periodorum Initia, arcano, si placet, notata charactere. Quòd si scripti partes plures fuerint, & inęquales; breves conjũgẽdo, & de longa ad brevem aliquid transferendo, pauciores fiant Columnæ, & æqualiores. Exemplo sit Index Orationis 26. Cujus Exordium & Propositio conjunguntur in prima Columna: in secunda ponitur Narratio de vita & studijs Archiæ: in tertia Confirmatio Propositionis per testes & leges. Objectionum Confutatio duas continet Digressiones: alteram de laude literarum & Poësios in Col. 4. alteram de Gloria [virtutis præmio] in quinta. Subjicitur, sexto loco, Peroratio: hunc in modum:

EXOR. Siqid est. Nã qoad lon. *Qod si h*		Ac nequis à. *Etenim om.* Sed ne cui vest. *PROP. Qod si mihi.*	
NARR.	CONFIRM.	DIGRESS. 1.	DIGR. 2.
Nam vt prim. ex	*Data est c.* Cũ hìc d	*Qares à nob.* Qia s. *An tu e.*	*Neq; enim* Them *Itaque il*
Erat Ital. t. pl.	*Si nihil a.* Qid en. h	*Ego ver. f.* Me autẽ. *Qar q.*	*Mithr.* Pop. en. *Nostr. semp.*
Itaq; hũc & Tar.	*Heracl.* Adẽ. *Ads.*	*Atq; h. eò.* Qę si. *Nam nisi m.*	*Qar. q.* Car. f. *At ijs* In cœl
Hac tãt. cel. St. l.	*Hic tu t.* Est rid.	*Sed pleni* o. Qam mult. nob.	*Erg. il q.* Nam si qis. *Qar. si. r.*
Sed enim hoc n. s.	*At domic. r.* At n. e. p	*Qaret qisp.* Ego ml. *Atq; t.*	*Qam ml.* Qid? Nostr. *Itaq; cr.*
Erat temp. ill. j.	*Nã cũ Ap.* His igit. t.	*Ex hoc es.* Qod si n. *Nã cet.*	*Sylla cum h* Qid à Q. *Neq; en.*
Interim satis l.	*Qa cũ ita si.* Eten. c.	*Qod si ips.* Qis nr. *ergo ille.*	*Ipsi illi* Decius. *Iam verò*
	Qid? cũ. Cens. nr. *Est*	*Qoti eg.* Hunc n. eg. *Atque s*	*Qar in q.* Atq; vt id. *Nã qas r.*
	Sed qon. *Qare arg.*	*Qar. suo.* Sit igit. *Sax & s.*	*Nul. en.* Cert si n. *An vero t.*
		Homer. Erg. il. *Nam & cimbr*	*At cũ st.* Ego ver. o *Hac ver. s.*
PEROR. Qare conservate Iudices. Qæ cum ita sint *Qa de caus. p:* qæ non foti.			

Aliusmodi poteris Indices tute tibi fingere: & tuo forsan commodo accommodatiores. * *Nam cur volumus abmdustria quenquam removere, vt ne quid ipse quarat; cùm illi omnia quæsita, parataque tradimus?* * Heren. l. 3 ¶ 44.

Remedium verò præstantius est, † *amplissimum illud longi laboris pramium*, & ipsius Artis perfectio, *ex tempore dicendi facultas: quam qui non erit consequutus, civilibus officijs renunciabit; & solam scribendi facultatem potiùs ad alia opera convertat. Siquidem innumerabiles accidunt subitæ necessitates, vel apud magistratus, vel repræsentatis judicijs, continuò dicendi. Quid, cum adversario respondendum erit, fiet? Nam sæpe ea quæ opinati sumus, & contra quæ scripsimus, ac tota subitò Causa mutatur. Quid porro multum stylus, & assidua lectio, & longa studiorum ætas facit; si manet eadem, quæ fuit incipientibus, difficultas? Neque tamen hoc ago, vt ex tempore dicere* * *malit, sed vt possit.* *Extemporalis oratio.* † Q. l. 10. c. 7.

* Nam qui, scriptione relictâ, ad extemporalem omnino se confert orationem, in crassum & ingratum Dicendi genus paulatim delabitur.

Ad hanc autem Perfectionem assequendam, non nisi ingenio acuto, tenaci memoriâ, & multiplici rerum scientiâ instructus quisquam accedat. Sic aptatus, primò ex scripta oratione periodos aliquot, paulò secus quàm scripserit, enunciare tentet: hoc cùm efficere potest, integra pars aliqua varietur: tum, immutatis Exordio & Epilogo, totius Tractationis innovationem, servatis tamen animo argumentis & ordine, experiatur: cùm hoc etiam laudabiliter aliquoties perfecerit; vlteriùs à scriptâ ad cogitatam orationem progredi licebit; & scriptis tantùm duabus partibus extremis, Partitionem animo concipere, & in singulis partibus tractandis Locos inventionis * cogitatione percurrere: vnde, quæ cuique parti maximè conveniunt, argumenta desumet. Nec verba, rebus conceptis, exercitato deerunt. † *Rerum enim copia verborum copiam gignit.* * Lege Epilogum Locorum. † Orat. l. 3. ¶ 19.

* *Verbaque provisam rem non invita sequentur.*

Atque ita gradatim, integram orationem extemporalem, ex paulula præmeditatione, tandem conficiat. In his verò omnibus, primò solus, tum audiente vno aut altero comite, postremò publicè in Scholis vires suas periclitetur. † *Educenda deinde dictio est* (inquit Crassus) *ex hac domestica exercitatione & vmbratili, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque aciem forensem.* * Horat. in Arte. † Orat. l. 1. ¶ 39.

Sed * *Consuetudo & exercitatio facilitatem maximè parit: qua, si paulatim intermissa fuerit, non velocitas illa modo tardatur, sed & vbertas ipsum coit atque concurrit. Quanquam enim opus est naturali quadam mobilitate animi, vt dum proxima dicimus, struere vlteriora possimus, semperque nostram vocem provisa & formata cogitatio excipiat; vix tamen aut natura, aut ratio in tam multiplex officiũ diducere animũ queat, vt Inventioni, Dispositioni, Elocutioni, Ordini rerum verborumque; tum ijs quæ dicit, qua subjuncturus est,* * Q. l. 10. c. 7.

qua vltrà ſpectanda ſunt, adhibita vocis, geſtus, obſervatione, vna ſufficiat.

* ait Fab. l. 10. Hic juvat quod monet * Orator, *Nullum noſtrum vſquam negligentem eſſe ſermonem: quicquid loquemur vbicunque ſit, pro ſua ſcilicet portione, perfectum.* Atque vt accuratè loquendi, ita etiam commentandi, ac inprimis ſcribendi, conſuetudo ad extemporalem conducit orationem: vt docet Fabius: * *Studendū verò ſemper, & vbiq;.* Et mox *Scribendū certè nunquam eſt magis, quàm cùm multa dicemus ex tempore.* Item, apud Oratorem, Craſſus. † " Etſi vtile eſt etiam ſubitò ſæpe Dicere; tamen illud " vtilius, ſumpto ſpatio ad cogitandum, paratiùs atque accuratiùs Di- " cere: caput autem eſt (quod (vt verè dicam) minimè facimus: eſt enim " magni laboris, quem plerique fugimus) quàm plurimum ſcribere. " * Stylus optimus & Præſtantiſſimus Dicendi effector, ac magiſter: ne- " que injuriâ. Nam ſi ſubitam & fortuitam orationem, commentatio & " cogitatio facilè vincit; hanc ipſam profectò, aſſidua ac diligens ſcriptu- " ra ſuperabit. Omnes enim Artis Loci, qui modò inſūt in ea re de qua " ſcribimus, anquirentibus nobis, omniq; acie ingenij contemplanti- " bus, oſtendunt ſe & occurrunt: omneſq; Sententiæ, Verbaque omnia, " quę ſunt cujuſq; generis maximè illuſtria, ſub acumen Styli ſubeant " & ſuccedant neceſſe eſt: tum ipſa collocatio conformatioq; verborū, " perficitur in ſcribendo, non Poëtico, ſed quodam Oratorio Numero " & modo. Hæc ſunt quæ clamores, & admirationes in bonis Oratori- " bus efficiunt: neque ea quiſquam, niſi diu multumq; ſcripſitârit, eti- " amſi vehementiſſimè ſe in his ſubitis Dictionibus exercuerit, conſe- " quetur: & Qui à ſcribendi conſuetudine ad Dicendum venit, hanc af- " fert facultatem, vt etiam ſubitò ſi dicat; tamen illa quæ dicantur, ſimi- " lia ſcriptorum eſſe videantur: atque etiam, ſiquando in dicendo ſcri- " ptum attulerit aliquid; cùm ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis o- " ratio conſequetur. Vt concitato navigio, cùm remiges inhibuerunt, re- " tinet tamen ipſa navis motum & curſum ſuum, intermiſſo impetu " pulſuque remorum; ſic in Oratione perpetuâ cùm ſcripta deficiunt, " parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine " & vi concitata.

† Orat. l. 1, ¶. 39.

*i. Scriptio. Longior eſt in hac voce Metalep. Nam *Stylus* ab ἵστημι, ſtatuo, propriè *columna* dicitur: *columna* per Synech. generis pro *cono* ponitur: *conus* per Metaph. pro *graphio*, quo in cera, ſeu cereis tabulis exarabant: *graphium* per *Meton.* cauſæ pro *ſcriptione*, cujus eſt inſtrumentalis cauſa: ſicut hoc in loco: porro ſcriptio per Synecd. generis pro genere ſcriptionis ſeu Charactere: qui vſus è Stylus dicitur. v. c. 2. §. 3.

† Or l. 3. ¶ 20. *Liber.*

His adminiculis, ingenui juvenes ad glorioſam illam obnixè contendant Leontini Gorgiæ perfectionem. † *Is princeps, ex omnibus auſus eſt in conventu quærere, qua de re quiſque vellet audire: cui tantus honos habitus eſt à Græcia, ſolo vt, ex omnibus, Delphis, non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur.*

Tertium, quod his forſan aliquis adjiciat, [libri inſpectio] non tam remedium quàm dedecus habendum; Oratoris prorſus indignum dignitate Or l. 11. c. 2. *Ad libellum reſpicere vitioſum, quòd liberalem negligentiæ facit. Inde interruptus Actionis impetus, & reſiſtens ac ſalebroſa oratio, & qui dicit ediſcenti ſimilis, etiam omnem bene ſcriptorum gratiam perdit.* Ideoque nec adultis, nec pueris, permittendum. His potiùs detur, dum vel ſua vel aliorum ſcripta recitant, Admonitoris copia: qui non niſi manifeſtè aut errantj, aut hærenti, verbum ſuggerat. Interim

Admonitor.

verò

verò delicta numerentur: & terna quælibet seu quaterna primò, postea bina seu singula, aut ferulæ, aut dedecoris alicujus pœnâ mulctentur: donec tandem integrum pensum suo Marte, aut saltem exiguâ Indicis ope, conficere possunt. Ita enim adultis, qui perfectâ hac memoriter Dicendi ratione, à pueris, sunt exercitati, vel leviter delinquere rarò contingit. Frigida autem totius scripti lectio, dum animus & oculi chartæ sunt intenti, omnem Actionis & vultus gratiam amittit: & proinde Auditorum animos minùs afficit, & in persuadendo minus efficit.* *Ægrotis tamen indulgetur, & principibus in repub: occupatis, vt Orationem de scripto recitent.* * Iunius Meth. Eloquentiæ. c. 20.

Siquis, memotiæ fretus bonitate, Remedio omni neglecto, Dicere audebit; viderit dicturus, vt non modò res & rerum ordinem; sed etiam verba ipsa examussim teneat: † *ne vnius eorum cujuslibet oblivio, aut deformem hæsitationem, aut deformius silentium inducat. Nam & invitus perdit quisque id quod elegerat verbum, nec facilè reponit aliud, dum id quod scripserat, quærit.* † Q.l. 11. c. 2.

ORATORIAE. *Epilogus.*

PErfecta Orandi facultas acquiritur (a) tribus rebus: [Naturâ, Arte, Exercitatione.]

Natura. Natura (b) prima est, (c) quæ ingenium, memoriam, formam, vocem, (d) [res Oratori necessarias] donat.

Ars. Ars (e) dux certior, Naturæ dona (f) corrigit.

Vtramque (g) perficit, & (h) vincit Exercitatio.

Exercitatio. Exercitatio consistit in Genesi & Analysi.

Genesis est, qua Orationem nostram formamus, ex Artis præceptis, & imitandis Oratorum exemplis.

Analysis est, qua Orationem alienam resolvimus, observantes in ea, tum (i) quæ ab Arte præcipiuntur, tum Imitatione dignas Authoris (k) virtutes.

Imitatio. (l) Imitatio itaque est, qua Orandi rationem aliorum imitamur.

Imitationis duo sunt præcepta: vt (m) & eos qui excellunt, (n) & ea quæ in ijs excellunt, imitemur: præsertim (o) aptis ad ea Naturæ donis, quò faciliùs & ipsi excellamus.

Ad Epilog.

(a) Q.l. 3. c. 5. *Facultas Orandi consummatur, Naturâ, Arte, Exercitatione.*

(b) *Prima est.* Orat. l. 1. ¶ 28. *Sic igitur censeo, Naturam primùm ad Dicendum vim afferre maximam.* Ars non facit doctum, quem Natura non fecit docilem.

(c) *Qua ingenium.* Ibidem. *Animi atque ingenij celeres quidam motus ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumque veheres, & ad memoriam firmi atque diuturni, sunt dona Naturæ: qua accendi aut commoveri ab Arte possunt, inseri & donari ab Arte non possunt: etiam, qua cum ipso homine nascuntur, lingua solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quadam & figura totius oris & corporis.*

(d) *Res Oratori neceſſ.* Ibid. *Sunt quidam aut ita linguâ hæsitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu motuque corporis vasti, atque agrestes; vt etiamsi ingenijs atque arte valeant, tamen in Oratorum numerum venire non possint.*

(e) *Dux certior.* Finib. l. 4. ¶ 12. *Etsi ingenijs magnis prædicti quidam, dicendi copiam sine ratione consequuntur; Ars tamen est dux certior, quàm Natura: aliud est enim, Poëtarum more, verba fundere; aliud, ea qua dicas, ratione & Arte distinguere.*

(f) *Nat. don. corrigit.* Orat. l. 1. ¶ 28. *Neque ignoro* (inquit Craſſus de Naturæ donis) *& qua bona sunt, fieri meliora, posse doctrinâ; & qua non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi posse.* Hujusrei exemplum est Athenienſis Demoſthenes: * *In quo tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur; vt primùm impedimenta Naturæ, diligentiâ industriâque superaret: cumque ita balbus esset, vt ejus ipsius Artis cui studeret, primam literam non posset dicere; perfecit meditando, vt nemo planiùs eo locutus putaretur: deinde, cùm spiritus ejus esset angustior, tantum continendâ animâ in Dicendo est assecutus; vt vnâ continuatione verborum, (id quod ejus scripta declarant) bina ei contentiones vocis, & remissiones continerentur: qui etiam, (vt memoria prodidit) conjectis in os calculis, summâ voce versus multos vno spiritu pronunciare consuescebat: neque is consistens in loco, sed inambulans, atque ascensu ingrediens arduo.*

* In fine l. 1.

(g) *Perficit.* Heren. l. 1. ¶ 2. *Illud moneo, Artem sine assiduitate Dicendi non multùm juvare.* Et l. 4. ¶ 8. *Assiduè consequemur Artis rationem, studio & exercitatione.*

(h) *Vincit.* Pro Corn. Balbo. *Assiduus vsus omnes res deditus, & Ingenium & Artem sæpe vincit.* Et Orat. l. 1. ¶ 4. *Ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assecutus est, adjungatur vsus frequens: qui omnium Magistrorum præcepta superat.*

(i) *Qua ab Arte præcip.* vt sunt Tropi, Figuræ, Perſuadendi modi, Stylus, Partes Orationis, Quæſtionis Status, Genera Cauſæ, Loci, & multiplex Diſpoſitio.

(k) *Virtutes.* Virtutes, ſeu Exempla Imitanda, ſunt peculiares cuique Authori dictorum argumentorum vſus. Q. l. 10. c. 2. *Imitatio non sit tantùm in verbis: illuc intendenda mens, quantum fuerit decoris in rebus atque personis; quod consilium; qua dispositio; quàm emma, etiam qua delectationi videntur data, ad victoriam spectent; quid agatur Proœmio; qua ratio, & quàm varia, Narrandi; qua vi probandi, & refellendi; quantaque lam, ipsa populari vtilitatis gratiâ,*

tiâ, assumpta: quæ tum est pulcherrima, cùm sequitur; non cùm accersitur. Hæc si providerimus, tum verè imitabimur. Qui verò etiam propria his bona adjecerit, vt suppleat quæ deerant, circumcidat siquid redundabit; is erit, quem quærimus, perfectus Orator.

(l) Heren. l. 1. ¶ 6. *Imitatio est qua impellimur cum diligenti ratione, vt aliquorum similes in Dicendo velimus esse.*

(m)(n) Orat. l. 2. ¶ 43 dicitur Sulpicius, bonæ quidem indolis adolescentulus, excellentem Oratorẽ L. Crassum diligenter Imitando, vnius anni spacio incredibiliter mutatus; & magnificum ac præclarum Crassi genus, (aptis ad illud Naturæ donis) assecutus. Vnde ibidem sic præcipit Antonius. *Ergo hoc sit primum in præceptis meis, vt demonstremus quem imitetur: atque ita, vt quæ maximè excellant in eo quem imitabitur, ea diligentissimè persequatur.* Quomodo etiam Quintilianus l. 10. c. 2. *Primùm videndum est quos imitemur: (Nam sunt plurimi qui similitudinem pessimi cujusque & corruptissimi concupierint) deinde in ipsis quos elegerimus, quid sit ad quod efficiendum nos comparemus: nam in magnis quoque authoribus incidunt aliqua vitiosa, & à doctis, inter ipsos etiam, mutuò reprehensa.*

(o) *Aptis ad ea Nat. donis.* Qualia fuerunt in Sulpicio ad imitandum magnificũ genus Crassi: (vide (m) suprà) Nam vt rectè Poëta,

† *Tu nihil invitâ dices, faciesve Minervâ.* † Horat. in Art. Poëtica.

Imitatu dignissimus censetur, in eloquenti suo Panegyrico, Plinius junior: quales proculdubio fuerunt, florenti illâ Ciceronis ætate, Antonius, L. & M. Crassus, Cotta, Catulus, Brutus, Cassius, Cæsar, Sulpicius, Philippus, Hortensius, Cato, Pompeius, Curio, Callidius, * aliique complures. Quorum artificiosas Actiones hodie desiderari, nimis esset dolendum; si non omnes omnium horum virtutes, in vno Cicerone convenissent. Quod disertè testatur l. 12. c. 10. Quintilianus: Vbi speciatim notans *vim Cæsarii, indolem Cælij, subtilitatem Callidij, gravitatem Bruti, acumen Sulpicij, acerbitatem Cassij, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calvi; etiam copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, jucunditatem Crispi, sonum Trachalli, elegantiam Secundi; At* MARCVM TVLLIVM, inquit, *non illum habemus Euphranorem, circa plurimum artium species præstantem; sed in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentissimum.* Hunc ergo vnum ex omnibus, pro omnibus, & præ omnibus, imitandum proponite: idque eò magis, quòd nihil vsquam, mirandæ illius eloquentiæ & doctrinæ, immistum reperietis, quod vel castitatem, vel modestiam, vel pietatem, vel bonos mores lædat. Præter hunc sicui sit animus aliorum etiam Dicendi rationes & venas consectari, sive veteres sint, sive recentiores; eos deligat, qui, Ciceronem prudenter imitando, egregiam aliquam in Dicendi Facultate laudem adepti sunt. * In claris Oratoribus.

Quò verò imitando meliùs proficiant Tyrones, diligenti orationum analysi, à pueritia, exerceantur, ter quamlibet perdiscentes. Primâ vice

† Rhet. l. 2. c. 2. 3. 4.

vice ſingulas prælectiones à magiſtris jam interpretatas confeſtim interpretentur ipſi; atque etiam juxta † *vocis* præcepta, rectè legere ſtatim doceantur: rectè lectas eodem modo memoriter poſt meridiem repetant, & Grammaticalia obſervent. Cùm ſic ad Orationis finem perventum eſt; ſecundâ vice duas vel plures lectiones connectentes, obſervent in ijs, poſt interpretationem, Artificium Oratorium, eaſque conjunctim memoriter recitent: donec ita totam Orationem ſecundò percurrerint. Tertiâ vice, prælectionibus omnibus conjunctis, orationem integram, voce ac geſtu congruenti, tanquam ſuam, memoriter pronuncient.

In hunc finem, ſelectæ quædam Ciceronis Orationes, tam brevitate, quàm elegantiâ præſtantes, ſeparato volumine, quod diſcentium aſſiduè manibus conteratur, excudendæ & compingendæ erunt: cujuſmodi ſunt Philip. 9. de ſtatua Sulpicio ponendâ, Pro Archia Poeta, pro M. Marcello, pro Ligario, Catilinariæ 4, pro C. Rabirio, pro Deiotaro, Divinatio, pro Lege Manilia, pro Quinctio, & pro Milone. Adjungantur etiam, ſi placet, inſignes illæ duæ, quæ propter numerum Poëticũ faciliùs ediſcantur, * Ajacis & Vlyſſis Dictiones.

* Met. 13.

FINIS.

Monitio ad Lectorem.

* Quorum fœminina in æ puro genitivos mittunt in æ.

L. 1. *Paulò antè Cap.* 2 § 2. *immediatè poſt* [ã circumflexo:] *omiſſa hæc reſtituantur*: Et, * Græcorum formam habentem, genitivum *familiás, in paterfamiliás, Materfamiliás*, &c. ad differentiam accuſativi pluralis: atque genetivos plurales *Noſtri, Veſtri*, ad differentiam ſingularium. *Cap.* 3. § 1. P, *prima litera, debet eſſe Vernaculata. Ad cap.* 2. § 2. *Affectu* 11. *pro* capiunt *lege* cupiunt. *L.* 2. *c.* 5. (g) *in notu, ſeptimâ à fine lineâ lege* quarum.

Præterea Poſſet. l. 1. c. 34. pro ijs quæ de Paratheſi traduntur hæc precor ſubſtituas.

Paratheſis eſt, cum verbo verbum, aut ſimplex in eodem caſu, aut nonnunquam etiam conjunctum, Diſtinctionis vel Declarationis gratiâ, apponitur. vt, *Lupum* [*piſcem*] *non vidit Italia*: (ſicut Ioan. 14. 22. *Dicit illi Iudas* [*non Iſcariotes:*] *Domine*, &c.) Item Orat l. 2 ¶ 82. *Quoniam tribus rebus omnes ad noſtram ſententiam perducimus*; [*aut Docendo, aut Conciliando, aut Permovendo*;] *vna ex tribus his*, &c. Et Epiſt. f. 24. l. 9. COMMVNITAS *vita, atque victus, remiſſioque animorum, maximè ſermone efficitur familiari: qui eſt in conviviis dulciſſimus: vt ſapientiùs noſtris, quàm Graci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα,* [*i. compotationes, aut concœnationes:*] *nos convivia: quod tum maximè ſimul vivitur*: Nec non l. 2. c. 4. pag. 2 lin. 7.

Parentheſis. * V. Or. l. 1. c. 2 §. 1. (p) in not. *Paratheſi.*

Parentheſis (ſive ſemicirculis, ſive * virgulis notetur) tono inferiori, & ſono ſubmiſſiori, tota proferenda eſt, ſemperque deſinit vt Comma.

Paratheſis profertur vt Parẽtheſis: ſed deſinit vt Diſtinctio ejus primaria, ſive perfecta ſit, ſive imperfecta: aut, ſi nulla ſit, vt Comma.